



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>








UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT



90000







**D E**  
**B E L L O**  
**I T A L I C O .**



CHINA  
ADDITION


**B E R N A R D I**  
**O R I C E L L A R I I**

**D E**

***B E L L O I T A L I C O***

**C O M M E N T A R I U S,**

**Iterum in lucem editus .**



**L O N D I N I .**

**Typis GULIELMI BOWYER.**  
**M. DCC. XXXIII.**





THE  
JOURNAL  
OF THE  
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE

VOL. LXXII  
PART I  
1942

CONTENTS  
PAGES  
The Journal of the Royal Anthropological Institute, 1942, Vol. LXXII, Part I, pp. i-iv

THE JOURNAL OF THE ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE, 1942, VOL. LXXII, PART I, PP. i-iv

THE JOURNAL OF THE ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE, 1942, VOL. LXXII, PART I, PP. i-iv

THE JOURNAL OF THE ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE, 1942, VOL. LXXII, PART I, PP. i-iv

THE JOURNAL OF THE ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE, 1942, VOL. LXXII, PART I, PP. i-iv

THE JOURNAL OF THE ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE, 1942, VOL. LXXII, PART I, PP. i-iv

V

# BERNARDI ORICELLARI VITA.

❧ ❧ ❧

**C**um ad assequendam scriptorum mentem plurimum scire præstet, quæ fuerit eorum Vita, ingenium, natura, & mores; nonnulla referre de Bernardo Oricellario minime supervacaneum existimo, cujus elegantissimam historiam, de expeditione Caroli VIII. Gallorum regis in Italiam meis prelis committere aggredior.

Bernardus Oricellarius summo genere Florentia ortus est; quem ingenue a pueritia fuisse altum educatumque, ut nobilem virum decet ex eo apparet, quod non minus gloria majorum, quam litterarum, omnisque doctrinae studiis, & rerum gerendarum dexteritate



## VI

in patria maxime floruerit. Patrem habuit  
 Johannem, qui magnificentia, et pietate sin-  
 gulari ad honorem, & ad ornamentum sue  
 civitatis, maxima, & principe viro digna  
 aedificia extruxit, formis Leonis Baptistæ Al-  
 berti antiquæ architecturæ restauratoris. Uxo-  
 rem duxit Johannam Petri Medices, matro-  
 nam lectissimam, ex qua illi nati sunt Petrus,  
 Cosmus, Pallans, & Johannes: quorum duo  
 primi, in ætatis flore rapti orbem patrem re-  
 liquerunt. Johannes poetica claruit, fuitque  
 Romæ senator, & præfectus arcis S. Ange-  
 li; Pallans vero senator Florentinus, & inter  
 Florentinæ reipublicæ moderatores adscitus.  
 Hunc Carolus Imperator, aliique principes  
 Europæ humaniter exceperunt; præcipue Cle-  
 mens VII. P. M., ad quem a Republica lega-  
 tus fuit Anno M. DXXII. ut illi nuper ad  
 summum sacerdotium evecto nomine Florentinæ  
 reipublicæ gratularetur. Bernardas multa in  
 republica pollebat auctoritate: utpote qui va-  
 ria munera obiit, seditque ad reipublicæ cla-  
 vum. Anno enim M. CD. LXXXVIII. orator  
 missus fuit ad Venetorum, & ne senatus Venetæ  
 Pi-

Pisanis suppetias ferret. Anno M. DXII. ad  
 scitus in numerum viginti reipublica mo-  
 deratorum, Petro Soderinio ejecto, sedu-  
 lam navavit operam, ut intestinos motus  
 componeret: postea vero fuit inter quadragin-  
 ta, & octo Seniores dictos di Balza. Anno ve-  
 ro sequenti comitiis & ipse praesuit, quae eo-  
 dem anno haberentur. x. Kal. Jan. Respubli-  
 ca Romam cum mittere decrevit cum unde-  
 cim aliis civibus, ut Leoni X. eo quod P. M.  
 electus fuerit, gaudia Florentini populi testa-  
 retur; at septem dies antequam profiscien-  
 dum foret, Romam ire renuit, simulans ad-  
 versam valetudinem; id quod illi omnes vi-  
 tio dederunt, eo quod reipublicam parvi fac-  
 ceret, quam tamen regere solus ipse praesume-  
 ret. Attamen Pridie Kal. Jan. inter septem-  
 decim viros receptus fuit, ut reipublicae re-  
 gionem ad meliorem normam redigeret; & mense  
 Novemb. Anno M. DXIII. cum septuaginta  
 viris iterum reipublicam demandata fuis-  
 set, in eorum numerum ipse etiam electus  
 fuit. Vita cessit Anno M. DXIV. atque in  
 S. Maria Novella, perpetuo Florentinus ur-  
 bis



## VIII

*bis templo ejus ossa conquiescunt .*

*Vir fuit magnæ indolis , sublimique ingenio  
usus est ; factiosus tamen , & inquietus . Ci-  
ves sibi subditos in omnibus expetebat ; id  
quod cum obtinere non posset varios in republi-  
ca motus excitabat . Nunc populi , nunc optima-  
tum partes sequebatur ; aliquando tyranni-  
dem anteferebat ; semperque contendebat ut  
inter ceteros emineret , efficiebatque sæpe , ut  
dum primus haberi vellet postremus habere-  
tur . Ex quo factum est , ut omnibus æque  
invisus , extra urbem , & extra paternas aedes  
mori cogeretur . Medicorum partes semper  
fuisse sequutum asserit Alovysius Morerus , nec  
falso : ille enim suavit Philippo Strozio ut in  
uxorem duceret filiam Petri Medices , qui cum  
Anno M. CDXCIV. exilio damnatus fuisset ;  
Philippus quoque pœna multatus fuit quin-  
gentorum aureorum scutorum , atque ad trien-  
nium in regnum Neapolitanum relegatus , &  
ad quinquennium , ut vulgo dicebatur , Admoni-  
tus . Gallico nomini fuisse infensum non im-  
merito affirmat Mabillonius ; quandoquidem  
in hac historia , de qua loquitur vir ille do-  
ctiss.*

*Stissimus, Carolum barbarum regem inmerito, barbaramque nationem appellat.*

*Verum quanta eloquentia emereret, & quae reliquerit ingenii sui monumenta posteritati, audiendus Fr. Michaël Paccianus, de eo ita scribens. Bernardus Oricellarius vir consularis gravissimus, totius philosophiae micantissimo splendore perpolitus, & ad scribenda mortalium gesta a natura productus. Quanta eloquentia laboraret; quo sui ingenii lumine polleret, quae inventionis subtilitate emereret; quo dispositionis artificio praearet, & quae denique varietatis facundia, & rerum de scientiarum gravitate incederet, quam plurima & Ficini, & Criniti epistola luculentissimum testimonium reddant. Posteritati transmisit (teste eodem Crinito) in primis libros, quos de *Urbe Roma* intitulaverat, in quibus admodum elaboravit in illustrandis, atque observandis antiquorum monumentis. Dictavit quin etiam Florentinae historias, quas adeo phrasi extulit eloquentissima (quod teste Michaële Urbinato) ipsum Sallustium superare videatur.*

*In-*

X

*Inter ceteras facultates, quibus excellens habebatur, adeo polluit Latine scribendi arte, ut alterum Sallustium eum appellaverit Desiderius Erasmus; qui tamen quum cum aliquando obitum habuerit, eumque Latino sermone excepisset, numquam potuit obtinere ut Latine responderet; nam cum fere omnes Itali hoc usu careant, timebat vir prudens, ne aliquid inquinatè proferret, seu aliquis Bap-  
tistes illi excideret.*

*Opera ab eo quamplurima scripta sunt. Bellum Mediolanense, quod Florentia in celeberrima Bibliotheca Stroziana, & Magliabechiana adservatur. Bellum Pisanum. Oratio de auxilio Tiphernatibus adferendo, quæ ambo in iisdem bibliothecis latebant. Verum in Stroziana Bellum Pisanum in fine mutilum est, sed legi integrum in Magliabechiana asserunt scriptores Ephemeridum litterarum Italiae T. 33. art. 6. Quod autem Bellum Tiphernaticum ab iisdem dicatur, minime curandum est; nam viri docti falsi sunt a duobus disertis viris, qui hoc illis retulerunt. Historia de Caroli VIII. Gallorum regis*



regis in Italiam adventu, quæ in nonnullis exemplaribus de Bello Italico, & de Bello Gallico inscribitur. Historia Urbis Romæ, de qua supra Crinitus apud Pocciantum; & quam deperditam majore ex parte falso putat Cinellius. Allucinatur etiam Gamurrinus dum affirmat Bernardum Historiam Florentinam scripsisse. Duas tandem ejusdem Epistolas Latinas apud se habere testatur eruditissimus Apostolus Zenus, quæ a Burmanno editæ sunt.

Neque prætereundum in hac historia, quam licet stylo sublimi, & nitidissima locutione conscriptam affirmant scriptores magni nominis syntaxis duriuscula quædam, & subobscura, & erroris nonnumquam suspecta adnotasse Johannem Brindley, qui primus ex apographo historiam hanc edidit nostris typis; cui fortasse locum dedit, nimia scribæ incogitantis festinatio, aut præceps authoris ardor, &c. Quare nos relicto hoc apographo editionem Brindley secuti sumus, quam conferre cum exemplare, quod adservatur in bibliotheca Medicea curavit amicus meus, cum olim Florentiæ versaretur. Nec vanus labor; nam pene centum lectiones variae sunt  
adin-

## XII

*adinventæ ; quarum nobiliores babes ad calcem hujus hystoriæ ; unde novam hanc editionem nostram luculentiozem futuram esse confidimus ; præsertim nobis quum non defuerimus , ut emendatior quam fieri potuit , in publicum iterum prodiret . Commentarium De Bello Italico excipit Bellum Pilanum , opus nunc primum in lucem editum ex authentici MS. apographo , quod conferre in animo erat cum exemplare , quod integrum reperiri tradunt , ut supra docuimus , scriptores Ephemeridum Litteratorum Italiæ ; sed facta diligentia non fuit adinventum ; quapropter aut illi falsi sunt , aut quod verosimilius est latet in obscuro loco ; cum etiam Cinellius olim in biblioth. Magliabecchiana illud vidisse apertis verbis fateatur .*

*Adjecimus tandem in fine Orationem De auxilio Tiphernatibus adferendo , quam pariter nunc primum ex eodem apographo publici juris facimus ; rati omnes qui B. Oricellarium , ut par est magni faciunt , æque libenter pondus esse excepturos , quam id quod auctarii loco censuimus esse adiiciendum .*

DE

# DE BELLO ITALICO.

~~~~~

**R**ES gestas memoria nostra scribere aggressus, doleo non & mihi licere, quod Phidiæ, ac Praxiteli, ceterisque Græcis hominibus in fingendo, pingendoque libuit, quibus præcipuum fuit, ut potius Deorum, Regum, atque Imperatorum, quam portentosi monstri effigiem exprimerent. Id enim, & ad voluptatem in opere ipso absolvendo, & ad gloriam, diuturnitatemque magis conferre videbatur; quum pietas, ac virtus assidue animo obversarentur, artificisque immortalitas cum Deorum immortalium cultu parta, atque consecrata esset; si quidem in templis, vel perspectissimo loco Deorum, atque Heroum imagines statuerentur; quarum Prothogenis tabulæ Rhodi eam sibi auctoritatem vindicâvere, ut Rex Demetrius expugnaturus urbem, ab ea maxime parte mœnium, ubi illæ visebantur, incendio abstinuerit, numinisque, ac picturæ gratia, omiserit victoriæ opportunitatem. Atqui hoc itidem fieri in historia minime contingit. Nam quum prima lex sit, ne quid falsi dicere, ne quid veri tace-

A

re

re audeamus , ratio , ac facultas omnis declinandi scelera , flagitia , ignaviam nobis erepta . Quin immo incidisse in obrectatorum invidiam necesse est , si quid paulo accuratius reprehenderis , laudaverisque supra vires ejus , qui laudem egregiam assequi nequiverit . Vitia enim per se crimini obnoxia , laus invidiæ opportuna est . Fortunati igitur illi fuisse videntur , quibus contigit ea descripsisse tempora , unde virorum præclara facinora magis , quam insignia scelera illustrarentur : aut incidisse in eam vivendi rationem , eosque mores hominum , qui auribus æquis exciperent monumenta ingenii , memoriæque rerum gestarum . Nobis autem , qui malo humani generis in ea secula devenimus , quibus omnia jura divina , atque humana permiscentur , unde sequuta imperia sæva , scelestæ , facinorosa , bella , excidia , strages , miserendum est ; quippe quibus necesse habetur , vel præterire silentio hujus ætatis memoriam , vel pleraque omnia describere ingrato animo horrenda posteris , ac iis ipsis , qui ea viderint , reformidanda . Lex tamen , atque præcepta historiæ servanda sunt ; assequendumque tot , ac tantis calamitatibus , quot nostra ætas tulit , ut virtus , atque flagitium veluti exemplar extent ad ea expetenda , declinandave , quibus mortales æterni gloria consecrentur .

Adventum Caroli regis Gallorum in Italiam , post ducentesium annum , quam barbarus hostis & ipse magnis copiis , magnoque ad bellum ap-  
pa-



paratu Alpes transcendit, scribere aggredior; rem hujus ævi longe omnium maximam, neque sine motu maximo generis humani: quippe bellicosa gens, atque olim pervagata armis universum prope orbem terrarum, omnium undique animos concussit. Quibus tempestatibus propterea quod plurima bella gesta cum opulentis populis, regibusque; unde strages, induciæ, pax, bellum, rursus exortum, atque in extremas terras penetratum est; non alienum videbitur, consilia, acta, eventusque rerum, ut quæque memoria digna extiterunt, aperire, ac quantum ingenio possim ante oculos ponere; & quoniam pleraque similitate, atque ambitione principum magis quam bonis artibus acta, gesta sunt, hinc maxime sumere narrandi initium, ut illorum solertia, temeritasque veluti exemplar ad imitandum, cavendumque in aperto proponeretur. Verum prius quis rerum status, quis animorum habitus antequam Gallus Italiam invaderet paucis differendum.

Satis constat ab hinc supra centesimum annum, Senatum Venetum terra, marique eo magnitudinis processisse, ut reliquis Italiæ populis, regibusque formidolosus foret. Quamobrem sæpe numero pro communi libertate, dignitateque imperii contra illius arma acerrime pugnatum. Nam ceteri, Venetorum opibus in dies magis, magisque auctis, suas imminui, trahique in discrimen arbitrabantur. Memorare possem plurima

Venetorum  
Status.

## 4 D E B E L L O

communi consilio bella gesta , fœdera percussa , pacem domi , forisque partam , ni ea res longius nos ab incepto averteret . Sed ut Gallorum Infubrium bellum omittam , quos , tuentibus Venetis libertatis specie pro sua magnitudine Franciscus Sfortia subegit , Mediolano fame in deditio- nem redactò , novissime memoria nostra potentia illorum obviam itum est invadentium Ferrariensem agrum , cujus capite urbe Ferrara potiri posse existimarent . Verum ubi Ferdinandus Aragonius , & Laurentius Medices vita excessere , quorum alter Neapolitanum regnum ab Alfonso patre Hispano rege , alter a majoribus suis principatum acceptum apud Florentinos retineret , cujus auctoritas , civitatisque majestas gravis habebatur , perturbari , miscerique cuncta cepere . Hi longe prudentissimi omnium Italix Principum , quum ad protegendam communem libertatem , pacemque , & otium intendissent animum , consociassentque consilia , jam inde a parentibus veluti jure hereditario relicta , ac per manus tradita , ea assidue agitare , monere , niti , quibus res Italix starent , ac ( ut illorum verbis utar ) examine a quo penderent . Verebantur enim gravissimi homines , ac longe animo in posterum prospicientes , ne sociorum , atque amicorum labefactata imperia ad se reciderent : neque ruere illa posse existimabant , quin sua quoque eodem motu concussa prolaberentur . At liberi ( ut interdum res humanæ se habent ) parentibus longe dissimiles ,

pa-

Ferdinandus  
Aragonius , &  
Laurentius Me-  
dices laudati .

patrum consiliis spretis, ea primum moliti, deinde aggressi sunt, unde calamitas Italix simul, & sui exitium oriretur. Quo factum est, ut qui magni, pollentesque erant, mox fortuna cum imperii artibus commutata, ipsi inter pauca xrumnarum exempla miserandum spectaculum præbuerint.

Ceterum unde minime decuit, tantæ initium calamitatis fuit; nam postquam Alexander ille facinore omni insignis, ob similtates cardinalium auro ad pontificatum evectus est, veluti in auctionem proponere summum sacerdotium hæc ætas tulit, non contentus suis alienas animo jam opes invaserat, neque has quibus modis assequeretur, dum sibi filiisque, quos plurimos susceperat, pararet, quicquam pensi habebat; domestico dedecori addens immoderatam imperii cupiditatem. Igitur per homines sibi fidos, acceptosque, Alfonsi animum, qui Ferdinando successerat, tentare, adniti, ut ejus filiam ex concubina ortam, quam in delitiis habuisset, Alfonso filio in matrimonium daret: sperans (quod in animo altius hæserat) non modo opulentam dotem liberis, sedemque imperii, sed sibi aditum ad opes suas amplificandas, regnumque facturum. Quod ubi secus cessit indignatione, & stomacho exardens constituit Alfonsum regem dolo aggredi, ac extrema omnia experiri. Id ea gratia pronius, tutiusque fuit, quod tanta vis pontificiæ potestatis est, tot aucta artibus, ac munita religionis præfidiis,

Alexandri VI.  
vituperatio.

## 6 D E B E L L O

sidiis , ut facillime & bellum excitare , & ab eo desistere incolumi statu rerum possit . Unde non facile reperias ex eo tempore , quo ipsa abunde pollens , potensque fuit , a quibus magis , quam a pontificibus belli incendia excitata sint .

Rex Galliarum sollicitatus .

Legatis igitur in Galliam missis , per eos Caroli regis animum sollicitare , multa polliceri , ut regnum de Gallis ab Alfonso seniore , quemadmodum ipse aiebat , occupatum repetat . Illi omnia in promptu esse , opes , exercitum , tormenta ; & quod præcipuum est , Alfonso ipsum imparatum ; lociis , atque principibus ob superbiam , & avaritiam juxta invisum , tantummodo incepto opus esse , cetera Deos stantes pro justiore causa , gesturos . At Carolus jam antea repetendi regni cupidus , ubi intelligit Alexandrum ocli , ac pacis hostem sibi præsto affuturum , magis , magisque ad bellum accenditur . Putabat enim præter pontificiam auctoritatem , qua Alexander plurimum valuit , facile se ex illius finibus , in agrum Campanum impetum facturum , inde Neapolim caput , arcemque regni petiturum . Ceterum nobis satis compertum est , Alexandrum , ut erat ingenio subdolo , his magis fuisse usum pollicitationibus , quo Alfonso metu Gallorum perterritum affinitate sibi adiungeret , quam odio , aut amicitia permotum . Quam rem cum Alfonso præsensisset , prælongæ enim regum aures ad exploranda aliena consilia , non modo Pontificem non audivit , mollireque ejus animum studuit , verum , quod

Rex Neapolis ad bellum se parat .

quod initium omnium malorum fuit, longe diversa animo volutans, moliri in dies ardua, ac demum contra Maurum (ita ob colorem, vaftrumque ingenium Ludovicum Sfortiam appellabant) bellum cœpit: quod ante quam explicare aggredior, simultatum causæ, quibus bellum ortum, aperiendæ sunt. Hinc enim prima animorum irritatio.

Desponderat jam pridem Alfonsus filiam, Hippolita sorore Mauri genitam Joanni Galeatio Principi Insubrium. Is Galeatii filius fuit, qui a suis (Lampagnano auctore) trucidatus est. Post cujus eadem bella intestina, rapinæ, exilia, ceteraque hujuscemodi secuta sunt, dum ex primoribus quisque, bonum principis ætate pueri simulantes, pro sua potentia contenderet, donec summa imperii Mauro patruo permissa, maxime adnitentibus Gelfis, qui Gibellinarum partium odio (vigeat enim tum Mediolani id malum) imperitare Maurum, quam minus valere ipsi malebant. Tanta libido in partibus. Quamobrem Galeatius etsi ad justam ætatem adultus fuit, præter nomen, habitum, cultumque regium, cetera ab imperio aberat: nam regni arces, ærarium, arma, jura, postremo opes cunctæ penes Maurum erant. Eo enim gradu aditus fieri ad regnum, quod postea invasit, videbatur. Quam rem jam pridem ægerrime patiens Alfonsus, astu magis, quam aperta vi tentaverat, si quo pacto genero ferre opem posset. Sed partim Ferdinan-

Res Mediolan.  
penes Maurum.

di



di patris consilio admonitus, ne affini opitulando Italix statum pessumdaret, partim solertia Mauri, quæ summa in illo fuit, ab incepto destiterat. Tantum enim abfuit, ut Ferdinandus, cujus est merito semper laudata prudentia, ad seditiosa consilia prolaberetur, ut Galeatio repudiato per novas nuptias Maurum sibi matrimonio adiungere tentaret, motuque Gallicò exorto sedare hominem sollicitum adniteretur. Nam ingruente belli apparatu accingebatur, ut Genuam enavigaret, indeque se Mediolanum transferret ad controversias cum Mauro componendas, cum eum mors intercepta. Existimabat enim ad dignitatem simul, & salutem Mauri permultum pertinere, si se regio nomine, ac re insignem Mauro credidisset.

Alfonfus contra Maurum.

At Alfonso solutiore libidine per Ferdinandi obitum (serpebat jam tum in Italia peregrinum malum) statuit quid vis aggredi, struere, moliri, dum minime inultam Mauri insignem contumeliam perferret. Id ne officio in generum nullis impulsus inimicitiiis, an ambitione maxime adductus fecerit, quo per filix nuptias imperium invaderet, parum comperimus. Illud quidem haud dubium est, quod ipse de Mauro, proximisque ejus majoribus natu accepti repetitum ex memoria seniorum, Philippum, qui e gente clarissima Vicecomitum novissime Insubribus imperitavit, Alfonso seniore testamento hæredem scripsisse, ea maxime ratione permotum,

tum , ut foret , qui consilio , auctoritate , & armis tantum imperium a Venetis , regno Insubrium inhiantibus , tueretur . Quapropter Alfonsum , nepotem adiecisse animum ad res novandas credere haud absurdum est . Ea enim ambitione mortales , præcipue reges aguntur , ut modo pateat ad imperium aditus , supra bonum , honestumque , perculsi dominandi libidine , rapiantur : ne dum præcipuo , jure imperii neglecto , Alfonsus impotens animi oblatam per filiam occasionem dimitteret . Huic agitati quibus maxime opibus , nervisque tantum facinus aggrederetur , Florentini ad eam rem maxime idonei visi sunt : propterea quod in umbilico Italix positi , affluentesque omnibus copiis permagnæ opportunitati erant ad novandas res , simul quia mercatura pollentes , auri magnam vim ad bellum erogaturi videbantur .

Igitur Alfonsus Petrum Medicem patris locum in civitate obtinentem , ceterosque , quos ei fidos esse cognoverat , magnis præmiis , majoribusque promissis onerat , ut per eos sibi Florentinos societate , & fœdere adiungat , nomine Italicæ salutis , re ipsa ut civitatem a Mauri amicitia averteret . Id autem reipublicæ vulnus neque in Senatu , neque cum veteribus amicis , quibus communicare de maximis rebus Laurentius consueverat , erant enim in oculis civitatis , in ore , in sermone omnium , sed cum paucis agitatum est , qui vero pretium , aut gratiam anteferebant .

B

Vicit

Petrus Med.  
foedus init cum  
Alfonso .

Item Alexan-  
der VI.

Vicit igitur malum consilium in avido Petri ingenio, exultantique fortunæ illecebris, contra quas non satis obnititur natura mortalium : atque eo auctore foedus initum cum Alfonso est ; ita tamen ut conventa occultissime peragerentur . Societas eo jure stetit , ut Alfonso Florentinum , Florentinus Alfonso pace , ac bello juvaret . Ad ægras principum mentes accessit ægrior Alexandri animus , consiliique immutatio . Unde Alfonso sibi sumperat ingentes spiritus illum rapiente fato , quod , veluti e fonte simultatum , prævum aliud super aliud consilium cumularetur . Nam Alexander , cujus corde multæ latebræ , multique inerant recessus , sive deterritus magnitudine rerum externarum , quibus enixe studere Maurum intelligebat , sive dominationis spe illectus , sive intestinis hostibus permotus , Ursina enim factio domi potens Alfonso se coniunxerat , in easdem partes tractus est , congregique una cum Alfonso statuit . Quare profectus ab urbe Vicovarum usque , locum colloquio utrique opportunum , ibi regem convenit longe a domo obviam profectum comitatu regio , atque ornatu ; ibique commoratus per paucos dies , dum quæ gerenda erant communi consilio statuerentur , cunctorum & populorum , ac regum animos in se convertit . Fama , & opinione res humanæ se habent : convenisseque tantos principes constatæ conspirationis inditium per magnum pondus quocumque intendissent , alaturum videbatur . Ita maximarum rerum initia,  
qui-

quibus facile occurri poterat, si principum adef-  
set sanitas, maximum incrementum habuere.

Hæc ubi Mediolani comperta sunt, ingens mor-  
tus simul, atque indignatio Maurum occupavere.  
Quapropter cum Petro Medice, quamvis semel,  
& sæpius multa frustra egit, ne contra se moliri  
pateretur, tamen quo altius pertentaret ejus ani-  
mum ab inceptoque si posset averteret, legatos  
Florentiam misit, qui pro more habitis verbis  
apud summum Magistratum, secreta admonerent  
hominem, suaderentque ut ad officium, sanita-  
temque reverteretur; neque tantum, quod in-  
propinquo foret, sed veluti ex alta specula quam  
longissime provideret: amicitiam a parentibus,  
majoribusque per manus traditam coleset, neque  
alienam cuperet: altera diuturnam pacem fuisse  
partam, altera sæpius bellum renovatum, ac no-  
vissime ab Alfonso acre bellum gerente pene exi-  
tium patris, Medicæque familiæ exortum: ma-  
gno præsidio, ac rursus imminenti periculo fore,  
finitimum utrum socium, an hostem habeas: lon-  
ginquum haud multi faciendum, motum, prin-  
cipiumque rerum cujuslibet in manu, vel ignavi  
esse: statum vero, atque exitum sibi vendicasse  
fortunam, quæ consistere eodem vestigio nequeat:  
periculosum supra tantum numen tentare, aureo-  
que hamo piscari. Postremo sineret fata in oculis  
esse, neque acerbam necessitudinem Mauri  
imponeret, qua simul cum ceteris Italiæ populis  
eodem motu concussis, præceps, neque inultus

Legatio Mauri  
ad Petr. Med.

Verba Legato-  
rum ad Petrum  
Med.

fit ruiturus. Ad ea Petrus, longe aliter atque animo agitabat, respondit: Mauri, patrisque ejus invicti principis amicitiam, Alfonsi esse sibi potiore; quorum consilio, atque armis majorum opes primum confirmatæ, deinde auctæ sint: quod ille monuisset, alte in pectus descendisse, permagnumque apud se pondus habiturum: obsecrare tamen, atque obtestari per antiquam amicitiam sanctissime cultam, ut florentissimis rebus suis consulat, ex quibus spes, opesque Medicæ familiæ penderent. In quo non potuisse non recensere in tanto anfractu rerum, quod a patre suo accepisset: communibus sociis veluti corporis membris his præcipue manere periculum, qui infirmiores essent. Proinde ne gravaretur, se cessisse tempori, neutramque in partem inclinasse. Satis sibi habere Maurum, si tot, tantisque fluctibus, quantis exagitari Italiam necesse sit, ipse culpa vacuus, perpetua sedulitate nullo officio defuerit, quod ad salutem ejus, dignitatemque pertineat, dum sibi per Italicos motus integrum foret, liceretque optime merito de se principi inservire simul, & obsequi paternis consiliis, a quibus discedere summum nefas duceret.

Mauri consilium.

His rebus ex legatorum litteris cognitis, Maurus, qui ex suo ingenio ceteros fingens, alienam fallaciam suspicabatur, cum animadvertisset sibi a Petro manere insidias, maximum vero periculum a popularibus conspirationis, diu, multumque anxius dicitur mente agitasse quid nam consilii cape-



caperet . In altera parte hostis Italus , in altera , si Galliam respiceret , fœdus infidum : illinc bellum vel dolo machinatum , hinc præsidium formidolosum fluctuantem animum exagitabant . Carolus enim haud facile impelli posse ad reposcendum regnum existimabat ; neque transiturum , Alpes , nisi validissimis copiis , maximoque ad bellum apparatu : cujus fides , ut parum cognita , ita maxime suspecta erat : pendere enim a Gallis ex fortuna videbatur . Qua propter , multis diebus per dubitationem consumptis , demum necessitudine , quæ prior , ut fit naturæ vicio , prævaleret , obscuraretque periculi externi magnitudinem , legatos ex suis necessariis , quos haberet maximæ auctoritatis cum multo auro in Galliam mittit : hisque præcipit , ut regis proximos pro cuiusque ingenio aggrediantur , dando , pollicendo , nihil remittendo , dum contra Alonsum , Carolus in Italiam transcendat , quod sane legatis haud difficile factum fuit multis de causis , quas aperire in tanta re , quoniam locus obtulit , non alienum videbitur .

Fuit Carolus Alovysii filius , ejus qui Carolus Belgarum principem animo simul , & armis invadentem Galliam Helvetiorum virtute oppressit . Is propterea quod morbo comitiali diù laborasset filium haud iusto corporis habitu genuit , deditque educandum procul a cultu regio fidis hominibus , humilique fortuna ortis , qui tantummodo ætatem ejus regerent . Hic varia fama est , alii

Caroli VIII.  
Imago .

alii quod indecentis formæ , ac pene monstruosum puerum successurum regno in publico conspici rex gravaretur , humiliter educatum fuisse ajunt : alii ut erat Alovysius ingenio callido , atque religionis ostentator , servandam quasi in arcanis altam indolem voluisse , ad iniciendam superstitionis populis religionem , inesse aliquid Numinis adulto filio . Ea enim gens Gallica est , ut superstitione ducatur , regesque suos , quasi diis prognatos , pie , sancteque veneretur . Verum illa fama constantior , atque ut credam potissimum inclinatur animus , quod a majoribus natu accepi , Alovysium suæ impietatis conscium , quippe qui a patre jam inde ab adolescentia defecisset , ne idem filius perpetraret per custodiam obscuri generis hominum , præcaveri sibi voluisse , simul & regno consulere : quod post ejus obitum quam maxime tutum ab intestinis seditionibus fore existimabat , si potentioribus , ac summo loco natis nulla accederet auctoritas , proculque ab omni cultu regis stirpis abfuissent . Nam , ut liberius loquar , Alovysius semper infestus nobilissimis quibusque fuit , aliosque alia clade oppressit . Quibus artibus factum est , ut illorum opes imminueret , regis vero post Carolum illum , rerum quas gessit magnitudinem insignem , successoresque ejus , non alias magis validæ , polloquentesque quam nostra memoria forent . Ceterum quæcumque mens Alovysii fuit in educandis liberis certe Carolus humili cultu Ambuosæ custoditus per omnem pueri-

ri-

ritiam , neque in disciplinam traditus , haud indolis regiae habebatur ; tantummodo ferunt grandi jam puero splendorem munificentiae , qua postea excelluit , enituisse : quippe auri magnam vim dono a patre missam ad perscrutandum adolescentis ingenium , circum astantibus elargitus est . Quod cum mire gratum Aloyfio foret ætate simul , ac perdita valetudine confecto , accersitum , laudatumque pro concione , longe quam antea liberalius habuit , exhibuitque regni hæredem , ita tamen , ut cura insidens steterit , ne cultus ejus penes primores foret : sed novi homines comites , custodesque salutis regiam adolescentem complecterentur , darentque operam , ut quam maxime obsequentem patri , acceptum sociis , plebi gratum redderent .

Hinc factum , ut puerilis simul , ac regius animus Gallicis magis fabulis , consiliisque eorum , quos opes regiae alebant , quam incorruptis monumentis assuetus nimis alta cuperet , præmaturoque belli ardore flagraret . Quod post patris obitum quam primum occasione data per Italorum seditiones , Gallizque procures donis corruptos , suscepit . Nam & si Jacobus Gravilla præfectus rebus maritimis , Admiratum dixere nomen , vir longe Gallorum omnium prudentissimus , quippe quem ferme optimus quisque domi nobilis sequebatur , summa ope contendisset , ne rex immaturo ardore animi ad bellum grave , periculosumque raperetur , cujus victoria lubrica , arque in-

Bellum decer-  
itur.

Legatio Gallo-  
rum.

incoſtans, partaque armis vix pacis artibus a Gal-  
lo retinenda foret, tamen quod plerumque fit,  
eorum ſententia prævaluit, qui ſibi urbes, qui  
bona, & fortunas Italiæ ad prædam propoſue-  
rant. Infederant enim juvenili animo defixa ra-  
dicitus Pontificis incitamenta: quæ revellere nul-  
la auctoritas graviffimorum procerum, nulla im-  
peratorum ſolertia potuit. Itaque bellum decerni-  
tur, cujus gerendi conſilium id primum fuit, ut  
cum finitimis controverſiæ componerentur. Perpi-  
nianum oppidum de rege Hiſpaniæ Ferdinando  
pignore acceptum, ſæpiusque fruſtra repetitum re-  
ſtitueretur. Terra, marique comparata ad Nicæam  
permagna claſſe copiarum expedirentur. Legati ſoler-  
tiſſimi homines circum Italiæ populos ad Princi-  
pum excitanda ſtudia, ſimulque explorandos lo-  
corum ſitus, mitterentur. Summa mandatorum  
hæc fuit ſane gravior: quippe ex ipſius Mauri ore  
proſiciſci videbatur, cujus conſilio cuncta age-  
bantur. Regem Deos teſtes appellare, ſe nulla li-  
bidine dominandi adductum, ſed regni ſui repe-  
tendi cauſa, quod Alſonſus occupatum, contra  
jus, ſaſque retineret, bellum ſuſcepſiſſe. Petere  
amicitiam, ſocietatemque, quam olim initam cum  
majoribus ſuis, jam ſatis ſcirent, multis, ma-  
gnisque tempeſtatibus ſibi ornamento, ac præſi-  
dio fuiſſe. Si forte recuſarent, poſtulare, ut per  
eorum fines ſine iniuria, ac maleficio tranſire co-  
pias paterentur.

Ad Pontif. &  
Florent.

Romæ, ac Florentiæ averſis auribus legatio  
audi-

audita est , responderuntque ex Alfonsi sententia ; quocum arma simul , & consilia Alexander , Florentinique consociaverant , se se pro maiestate Gallici imperii , cuius sanctitas nominis celebris apud mortales foret , regis colere amicitiam : neque in ea excolenda futuros impares majoribus suis . Quod autem societatem postularet , quia per eam fœdus violandum esset , quod cum Alfonso data , atque accepta fide percussissent , se pro iure gentium recusare ; neque permissuros , uti per agros , urbesque suas copix traducerentur ; id enim ut cautum iure fœderis , ita sibi , sociisque periculosum fore . Proinde pateretur æquo animo apud iustum regem , cultoremque religionis , fidem publicam , simul & fortunas suas , sociorumque , tutas quam maxime esse . At Venetiis legati honorificentissimè excipiuntur : oratio vero attentissimis animis audita est . Nam postquam res publica adolevit , civitasque summa concordia stetit , spe , atque animo complexa Italix imperium , ea semper cura insedit , ut alterius incommodo ipsi magni , pollentesque fierent ; existimarentque opportunissimum , sibi que magno usui futurum , si quid accideret , quo , integris suis rebus , ceteri Italix populi agitantur . Ea enim res Veneta est situ ipso urbis , ac legibus munita ; ut admixta , particepsque earum artium , quæ ad regnum , optimates , ceteramque bene institutam rempublicam pertinent ; & ab intestina , externaque vi maxime tuta sit ; & diuturnitate imperii immota crescat cetera-

C

tera-

Responsio Venerit Senatus.

terarum ruinis : quippe quæ octingentos jam annos amplius senatorio ordine , haud admissa plebe , unis moribus , neque fere mutatis legibus vivit . Itaque legatis amicitiam , societatemque petentibus , cum multum , ac diu consultum esset , demum princeps senatus ( ducem eum nominant ) hujuscemodi verba respondit . Senatam Venetum propenso admodum animo esse in regis , Gallorumque amicitiam ; qua olim stante cum majoribus suis domi , militæque præclara facinora fecisset . Verum , ut idem fieret , armaque eo tempore cum Carolo communicaret , permultum obstare vetus odium , molemque Turcarum , quibus cuncta maria , terræque paterent , facilisque in Italiam aditus esset . Si rex satis sibi haberet conjunxisse animos , ad tuendum imperium , sociorumque fortunas , senatum æquis postulatis obsecuturum . Sin malit armis contendere , Alfonsoque regnum invadere , jam sciat Venetos neutram in partem inclinantes , neque pro Gallis , neque adversus Gallos bellum suscepturos . Id enim e publica esse , neque a majestate regia alienum , cum ab infido hoste , infensoque Christiano nominis periculum immineret , qui eo magis in fines suos impetum facturus foret , quo per Gallici belli expeditionem ipsi obnoxii , opportuni que iniuriæ redderentur . In hanc fere sententiam multa oratione consumpta legati discessere .

Alfonso classem parat .

Dum hæc gerantur , Alfonso , qui vere appetente , omnem curam in belli apparatus intenderrat ,



rat, Genuenses socios, atque amicos Mauri ag-  
gredi statuit, gentem mobilem, avidamque rerum  
novarum. Qua propter Frederico fratri commissa  
classe, ipse vehementer eo negotio intentus, nihil  
reliqui facere, quo Genuensium animos a Mauro  
avorteret; existimans, si id assequeretur, se facile  
per illorum fines Insubrium agrum invasurum.  
Onerariis quidem, actuariisque navibus, supra tri-  
ginta, totidem triremibus, mixtisque aliis mino-  
ris formæ navigiis ea classis constitit: qua hinc  
supra sexagesimum annum mari nostro nulla fuit,  
vel numero major, vel militari apparatus instru-  
ctior. Fredericus igitur Neapoli solvens secundo,  
magnoque vento per Campaniæ, atque Etruriæ  
oram Liburnum Florentinorum portum tenuit:  
ibique plures commoratus dies, dum novo mense,  
recentique comœatu, ac Rupendiq classem exor-  
nat, cum primum per idoneam tempestatem li-  
cuit, Ligustica littora petiit, unde in Genuenses  
procurparet.

Erat in Frederici exercitu Paulus Fregosus  
cardinalis (pontificis id munus maxime prom-  
mum esse, satis constat.) præterea Hubletus Bis-  
cus, alique complures clari inter populares, fa-  
ctiosi, domi jam pridem potentes, qui propterea  
quod intestinis seditionibus a republica abfui-  
sent, plerique patria extorres, novis impetiis stu-  
debant. Her eos, popularesque suos Fredericus  
studia partium sollicitare, animos eorum accen-  
dere; postremo nihil languidi, neque remissi pa-

Consilium po-  
tius Genz.

ti dum sibi aditum ad res novandas faceret. Ea natura regionis est, id Ligurum ingenium, ut vi externa, iniuriaque maximè tuti, intestino malo laborent, simultateque, ac discordia præcipites eant. Quapropter Fredericus prius experiri cuncta Ligustinis artibus, quam se fortunæ committere decrevit; olim a Ferdinando patre doctus, consilio majore, quam animo bellum gerendum. At ex altera parte Adurna factio, penes quam Mauri auctoritate summa potestas erat, magna ope niti, plebem continere, urbem præfidiis firmare, naves ad quadraginta instruere; demum nihil omittere, quod ad tuendas res suas, simulque Mauri imperium pertineret: qui veritus rem Genuensem in se recidere, si minus per Adurnos socios, atque amicos staret, singula undique circumspectabat, providebatque ne locus perfidiæ relinqueretur: qua in re multis largitionibus usus dicitur, pondus ingens auri profudisse; cujus avidissima Ligustica gens est. Accedebat Mauri partibus, & præsidium Gallicum; si quidem Carolus Ludovicum Aurelianum, qui postea regno successit, cum valida Helvetiorum manu miserat, ut ab Alfonso rem Genuensem, & fortunas Mauri tueretur.

Pugna ad Rapallum.

His rebus ita actis, prælii initium simul, & cladis ad Rapallum ortum. Parvulum id oppidum est in littore positum, a Genua Etruriam versus circiter millia passuum viginti: quod parva admodum planitie adiacente, non adeo munitio-

ni-

nibus, sed natura loci præstat: ut ferè sunt cetera cuncta ejus oræ castella, quæ ad Macram amnem, Lunensemque tractum protenditur. Nam pleraque littora scopulosa, arduaque, promontoriis, atque cautibus, interim exiguam planitiem, si qua se aperit, claudunt: ubi oppidula interposita ad marittima negocia obeunda magis, quam ad tuendam regionem muro, aut arce firmata. Munimento enim satis sibi existimant Ligures scopulos, rupesque præruptas freto angusto imminentes, unde tamquam ex arce marittimam oram incolentes assuetudine loci defenduntur. Rapallum igitur difficilem oppugnationem habebat. Quapropter ut eo potiretur Fredericus, haud aperta vi, sed studio partium molitus, ubi adversæ factionis solertia, spe frustratus est, ad prælium accingitur: quod anceps, atroxque magis, quam pro numero pugnantium fuit, cum terra, marique regionis scientissimi, peritique marittimarum rerum inter se concurrerent: Fredericus pro gloria, magno apud principes incitamento, Ligur pro salute, quæ vel ignavos excitat decertarent: hic assuetior cautibus, & ad concursandum inter saxa, rupesque, ille stataria pugna validior, ducisque ipsius præsentia promptior, sub cujus oculis suam probari operam studebat. Prælii tamen eventus multorum sanguine Genuensibus stetit, cum primi hostium ordines transfixi telis concidissent; in angusto enim conseruerant manus, ut non missilibus tantum, sed gladiis, ac prope collo-

lato pede peterentur . Ligures autem asperi , & montani longe peritissimi navalis pugnae , cum propius erat necessario dimicandum , praevalabant .

Hac victoria parata Maurus , qui , ut diximus , Gallorum potentiam formidabat , occasionem nactus avertendi communis periculi , si per Alphonsum , ac Petrum Medicem licuisset , Florentiam litteras misit , quae Petro remotis arbitris recitarentur . Se nulla insolentia elatum , quod ad Rapallum Alfonsi , Florentinorumque copias fudisset , Fredericumque cum classe recipere se in altum compulisset . Verum id sibi potius fuisse documento ne quid temere fortunae crederet : mone-  
 re , tempus conciliandae pacis , amicitiaeque id maxime esse opportunum , dum quisque maxime diffideret suis fortunis ; satis superque esse proximo praelio fortunam periclitatam : florentes res Medicæ familiae , Florentinique populi fortunae ludibriis non committendas : progressum praecipitem , regressum incostantem esse : certam etsi non speciosam pacem , quam incertam spem belli praefere-  
 rendam . Quod ad se attineret , in manu sua esse Gallos finibus suis , vel emittere , vel continere : cum Alpes trascenderint nequaquam sibi ceterisve Italiae populis , si postea velint , fore obsistendi potestatem : altissima quæque flumina , parva , primo aggeris strue contineri alveo , qua dilapsa quantavis postea molem obiectam facile exuperare : se se iniuriis , insidiisque laceffitum Gallos barbaram gentem , communemque Italiae hostem  
 ad

Litteræ Mauri  
 ad Petrum Med.

ad arma sollicitasse, ut ab Alfonso vi quam maxime tutus redderetur. Qua si opprimendus foret, instaretque fortunæ suæ extremum fatum; hoc sibi solatii esse, quod prius bello Alfonso peteretur. Petri igitur fore partes futuræ inundationi occurrere, pacemque interponere, cuius conciliandæ potestatem facturum. Quod si per illum controversiæ componantur, quietem Italiæ, pacem provinciarum, salutem imperii uni omnes acceptam relatu-ros. Hæc Maurus profecto in ea re meritis sapientis consilii simul, & moderati animi laudem. At Petrus nihil pro sano facturum (obstabant enim perdita suorum consilia) paucis respondit. Pacem, concordiamque ad majorum suorum imitationem in animo semper habuisse, quam scirer populo Florentino usui, ac decori esse. Alfonso ut idem sentiat, se pro viribus daturum operam, neque commissurum, quo minus controversiæ componantur. Verum ea res fide patrum integræ agitata est. Nam Petrus, cuius præceps libidine animus paternæ fortunæ magnitudinem non capiebat, usque adeo spreta Mauri consilia habuit, ut quo ordine ea ipse accepisset ad Alfonso detulerit; monitis ejus obsequuturus: quippe cui natura ipsa, qua gignimur parum moderati indiderit; quo factum est, ut dum Alfonso, Petrusque impotens animi ceterique præpediti avaritia novis rebus student Maurum eluderent, legatumque ejus dolo aggrederentur.

Petri respon-  
sio.

Est in ædibus magnificentissimis, quas Cosmes  
Pe-

Petri dolus.

Petri proavus ædificavit, cubiculum insigne: cui Laurentius inter cetera exornandi gratia excogitata posticum devii maxime, atque occultissimi exitus addiderat, ut per eum in hortulum adjacentem ædibus secederet, celaretque, si quando usus fieret, abeuntes, introeuntesque; ut sunt callida nimis principum ingenia. Hinc Petrus opportunitatem nactus aperiendi Carolo, quæ a Mauro accepisset, data opera per simulationem valetudinis, ut ejus legatus ad se visendi gratia veniret, ambo in cubiculum secedunt. Tum ex composito legatus invitatus, ut juxta Petrum assisteret, ipse doli nescius assedit, sella haud temere ad posticum constituta, ibique litteræ, quas supra diximus, recitatæ sunt, multaque hinc inde verba in eandem sententiam habita, cum interim Caroli legatus (nam & is tum Florentiæ aderat, cum Petroque communicarat) extra posticum ita substitit, ut per ostii foramina limis aspiceret, perciperetque, ea quæ intus agerentur. Hæc per legatum Carolo nuntiata parum apud illum, proximisque ejus valere, astum Italicum Gallica avaritia exuperante. Nam qui magnis præmiis corrupti, majoribusque promissis onerati a Mauro fuerant, apud Regem cæca belli cupidine affectum cuncta pervertere, cum aliis alia moliri, neque pati expeditionem per moram senescere. Quod eo facilius fuit, quo apud Gallos opulentia, ac rerum magnitudine insolentes, pleraque temere, atque inconsulte aguntur: neque largitio

tio flagitiosa sed in benignitate existimatur; quippe quibus omnia venalia sunt .

At Alfonsus postquam comperit male re gesta ad Rapallum , irritoque in Maurum dolo , neque vi , neque astu opprimere posse hominem , mœstus , ac male se habens e conspectu abiit , ita ut mente concidisse videretur . Deinde , ubi se collegit , ira simul , & ægritudine stimulante animum , alia opprimendi consilia struit . Erat gravissimum apud Insubres , sociosque Mauri imperium ; primo quod Joanne Galeatio posthabito , ipse res , fortunasque regias sibi adsciverat , regni tantum nomine excepto ; unde tamquam ab alto fastigio depressi principis commiseratio oriebatur . Deinde quod per speciem tuendi imperii , auri magnam vim extorserat ; re ipsa , ut in dies magis , magisque pollens , potensque , thesauri præsidio redderetur : quod illi magnam invidiam conflaverat . Nam Galeatii res ita a fortuna deformatæ erant , ut tamen a natura optime inchoatæ viderentur : primoresque legitimum , quam adscitum imperium malebant ; eoque se potentiores fore arbitrabantur , quo res principis ætate adolescentis imbecillior esset . Plebs vero multis , magnisque oneribus oppressa , quod acerbè iniquo tributo imperatum fuerat , invidia æstuabat : neque deesse quicquam ad defectionem , præter auctorem videbatur . Hinc Alfonsus opprimendi Mauri occasionem nactus , hujuscemodi consilium cepit , vi , atque dolo machinatum .

Alfonsi consilium .

D

Erat



Erat Alfonsi filius Ferdinandus adultæ jam ætatis, militiæ appetens, ac summa spe, & animi, & ingenii præditi, penes quem demum recuperati de hoste regni laus, & gloria stetit. Is igitur cum expedita manu in Flaminiam missus, ut quam maximis itineribus contenderet in Parmensem agrum, indeque cum adulterinis insignibus imperii nomen præferentibus, quæ Florentiæ occulte exornata fuerant, Insubrium animos ad defectionem sollicitaret, Joannique Galeatio imperium restitueret: cui, quod materno genere natus Ferdinandus esset, fidus, acceptusque principi, popularibus vehementer carus fore videbatur. Verum id Mauri solertia, qua plurimum valuit, antevertit: qui totiens frustratus spe componendæ cum Alfonso controversiæ, tandem ad bellum animum intendit; cuncta apud Gallos molitus gratia, auctoritate, auro, quæ ad salutem suam, hostisque perniciem pertinerent. Horum autem id primum fuit, ut Ubignis præfectus regius cum expeditis copiis in Flaminiam contenderet; classis, quantam raro nostra memoria mare sustinuit, Genuæ, Niceæ, Massiliæ compararetur; Carolus Lugduni opulentissimo Galliarum oppido subsisteret eo consilio, ut ibi de summa rerum agitare, præsidia undique accersere, militem scribere commodius posset. Contra Alfonsus Gallico motu perculsus, Ubigni venienti in Flaminiam pari manu, & copia occurrere maturat; ratus ad dignitatem simul, & salutem suam per-

Mauri consilium.

tinere , si inconstantia sociorum nutantium ad novæ fortunæ cupiditatem procul a domo , in alienis , quam suis finibus , bellum gereretur . Ferdinandus igitur instructo exercitu ad Ubignis famam iter properans per Picentes , Marfos , Pelignosque , haud procul a Cæsena Flaminiae oppido castris castra posuit . Eo namque veluti umbilicum Italiae omnis belli moles inclinatura videbatur . Duo præterea insignes imperatores concurrerant de gloria certaturi : Ubignis de genere , Britannus ; cujus prima stipendia apud regem Alorvysium , clara apud Carolum fortia facta , ad virtutem accendebant : Ferdinandus regia indole , eaque rerum expectatione , quibus postea Italiam implevit sui nominis : par iudem fere robur : par militum audacia . Nam etsi ille superior prætorianorum delectu , hic peditatu melior , illi primæ partes injectæ , ad Italiam invadendam magnos augebant spiritus ; huic addiderat , quod regnum Neapolitanum una cum Italiae salute in sua virtute positum intelligebat . Hic insignis animorum ardor mentes omnium in se convertit , prælium atrox propediem expectantium : quo uter superior evasisset , vicisse & bello apparebat . Verum discrimen impar magnitudine rerum externarum penes Alfonsum stabat : qua propter Ferdinando imperaverat , ut a prælio abstineret , neque fortunam totius regni periclitaretur . Maurus autem , ad quem summa negotii respiciebat , cujusque auspiciis bellum ab Ubigni gerebatur ,

hærebat adhuc animo , ne præceps se Gallis committeret , calamitosamque Italiæ pestem importaret .

Ita insignium copiarum Duces intenti in omnes occasiones bene gerendæ rei opperiri , unde fortuna casum maturi facinoris daret ; neque pati remissum quicquam curæ , aut laboris ; frequentissimi in armis fremere , modo e castris se proripere , modo retrahere , dies noctesque minime quietas permittere . Interim ex occasione , aut opportunitate , dum Gallus laceffit procurfatione hostem , patientiam ejus obsessionem appellando , levia a ferentariis commissa certamina : quibus ille superior excessit , haud fane demissa Ferdinandi spectata virtute : cui quod difficillimum est , moliri necesse fuit , impetum Gallorum excipere , ac patri obtemperare . Ceterum videri Ferdinandum prælio abstinuisse contra opinionem militum , famamque omnium per multum attulisse rebus suis detrimentum compertum est : bella enim constant auctoritate ; & Gallorum fortiter excipere primam audaciam , ardoremque animi , magna pars victoriæ est .

Carolus Lugd.  
proficiscitur .

Dum hæc in Italia geruntur , Carolus comparatis , quæ ad bellum opus erant , maturat Lugduno proficisci ; ac paludatus nuncupatis votis oppido egreditur , ingentibusque equitum , pedumque copiis , omnibus rebus ornatis , atque instructis in Cisalpinam Galliam contendit . Ad hoc undique ex Gallia latrones , deperditique homines :

nes , quorum permagnum numerum prædæ studi-  
dium illexerat , agmen sequebantur . Verum pro-  
peranti iter facere nuntiatum est mustitantem in-  
ter se militem gregarium , tumultuari , agmini  
primo rumorem , deinde formidinem irrepsisse ,  
Gallos Italicis artibus proditum iri : Maurum  
esse , per quem rex in flore ætatis , atque fortunæ ,  
totiusque Galliæ robur periclitaretur . Hæc initio  
pervagata auribus , animisque , ut in militari licen-  
tia , minus perturbavere regem : sed postquam  
rumoris auctores certi accessere , neque obscu-  
ri generis homines , fremeretque agmen subin-  
de ingruentium non modo gregatim , sed jam  
in principiis , ac prætorio , obstinateque iter sup-  
primeret ; subiit nonnullos ex proximis regis re-  
cordatio ejusce doli , qui Florentiæ machinatus  
fuerat : quo aperte intelligebatur Maurum , ut  
primum per Alfonsi controversias licuisset , postha-  
bitis Gallis , rebus suis consulturum : gravis , ve-  
hemenisque opinio animos barbaræ gentis perva-  
ferat . Accedebat ad hoc ratio solvendæ pecuniæ ,  
quam Maurus ad constitutam diem minime præ-  
stitisset , unde alieno in regem illum esse animo  
suspiciabantur , edebantque multa in vulgus . Jam  
fatis scire ex Alovysii patris Caroli auctoritate ,  
Gallorum amicitiam Italis maxime suspectam esse :  
quamobrem ille Italiam numquam respexerit .  
Unum , integrumque formidine Gallorum Italis  
cunctis esse animum : periculosum omnem Gal-  
liam unius fidei committere ; quippe qui in tan-  
to

to anfractu rerum populis, oppidis, fluviis, sal-  
tibus longe, lateque circumjectis proditis, vel  
posthabitis Gallis, salutis, aut fortunæ suæ sit con-  
sulturus. Fuere, qui ita existimarent, hæc, atque  
alia hujuscemodi prodita in vulgus militum, ab  
iis, qui auro corrupti rebus Alfonso favebant:  
nam & ipse apud Gallos largitione plurima usus  
fuisse dicebatur. Utcunque, certe tanta rerum  
perturbatio invasit animos, ut jam haud procul  
abesset, quin expeditione omissa Lugdunum re-  
verterentur. Verum in mobili ingenio ne dicam  
levi, dum mora adsit, facillima sit commutatio;  
incertus enim animus, atque ad omnem auram  
expositus, perlevi momento huc, vel illuc com-  
moveretur.

Cardinalis Ru-  
veræ imago.

Erat in primis apud regem Julianus Ruvera  
cardinalis, qui postea Pontifex Maximus factus  
est, vir vasti animi, neque alia magis, quam ar-  
dua contemnere ausus. Is initio pontificatus Ale-  
xandri, quem ipse ad tanti muneris fastigium  
evexerat, illi infestus, quod statum dignitatis,  
apud immemorem beneficii non obtinebat, inge-  
nium hominis pertimescens, Ostia Tiberina satis  
firmo præsidio munita secesserat; deinde gliscente  
jam formidine Avenionem profugerat: ubi & na-  
tura ipsa loci, cujus præfectus fuerat, & Gallo-  
rum viribus quam maxime tutus redderetur. Il-  
lic plures menses commoratus, postquam cogno-  
vit per intestinas seditiones Carolum Italiam respi-  
cere, intendisseque ad bellum animum, regi se

co-

conjuxerat; sperans per illum iniurias, quas ab Alexandro acceperat, ultum iri; simul confusus, si regis opes in Italia valuissent; pontificem se fore. Is igitur anxium, fluctuantemque regem primo mollivit; se asserens periculi socium, ducemque itineris; mox quietum ejus a perturbatione animum oratione accendit, docetque intempestivum esse hujusmodi vocibus impleri aures militum, quorum mentes bona spe imbueret, vel in primis imperatorem deceat: Maurum, cujus sensus omnes cognitos haberet, paratum, quæ postularentur facere; pecunias præstare, exercitum oppidis recipere, commeatum, cetera hujuscemodi suppeditare, quibus a bonis, fidelibusque sociis bella juvari solent: qui circumventus Alfonsi insidiis eo inimicitiarum progressus sit, ut fidei, atque concordiae locus non relinquatur. Si aliter fecerit, in quo fieri periculum haud grave esse, cum nulla exoriri mora possit, Maurusque prope diem obvius futurus sit; non recusare quin a se tamquam obside abstrictæ fidei expeteret pœnas. Multa præterea ejusdem generis addit ad sanandas eorum mentes, revocandosque in expeditionem animos. Venetis fore gratissimum regis in Italiam adventum: quippe qui aliena calamitate magis, quam sua virtute tuerentur senescentem imperii majestatem. Quod præcipue in causa fuisse ajebat, ut cum rex cupidissime eorum societatem appetisset, illi recusarent neutram in partem inclinantes. Florentiæ nobilissimos civitatis a Petro

Ruveræ hortatio ad Carolū.

tro Medice diffidere, favereque Gallicis partibus, jam inde a majoribus suis institutos Gallorum colere amicitiam: per omne Latium, atque in sinu urbis Romæ. Columnenses infestissimam Alfonso factionem, propterea quod Urfinos extulerit, in armis esse, Caroli imperium, auspiciūque secuturos: Neapoli, circumque ea loca, ac per omnem regni ditionem cunctos suspicere Carolum veluti de cœlo demissum, ut illius ope ab Alfonsi sævitia tuti forent, veteresque injurias ulciscerentur: magnum, atque latum imperium non magis Gallica virtute, qua vel Romanos ipsos olim superavissent, quam aliena discordia segnitieque posse comparari. Præterea, quod supra mortale fastigium est, Deos immortales adesse rebus Gallicis; siquidem eam mentem dederint Italibus omnibus, qua exoptarent per Christianissimum regem, ut olim a Carolo Magno factum est, Christianam rempublicam in libertatem vindicari, eripique ex impiis Alexandri manibus; quippe cui pontificia potestas summæ curæ esse debuit, ipse portenti similis potissimum ejus extincor sit; habeatque cuncta divina, atque humana promiscua. Hæc, atque alia hujuscemodi in illustri posita limine gloriæ, vel dedecoris, cum tantus apparatus adsit, quantum non iterum nostra tempestate Gallia vidit, expendere, regium esse, præcipueque ejus regis, qui & genus, & nomen ab eo duxerit, cui Magni cognomen ex virtute inditum: occasionem & præfinitum tempus rerum agen-

agendarum, eo usque divinitatis particeps veteres esse voluisse, ut vel ipsum optimi maximi nomen esse contenderint. Reges autem, ut hominum fama est, Diis progenitos genus heroum inter Deos, mortalesque fuisse constitutum. Caroli igitur esse partes non militum, fortuna ubique aspirante, utrum velit se clarum Italica victoria ascendere supra mortalitatem, an fluxa humanaque respicere.

Hæc ubi Julianus disseruit, mirum in modum conversæ sunt omnium mentes, summaque alacritas ex maxima tristitia innata est. Rex vero, ut sunt Gallorum subita, ac repentina consilia, pergamus, inquit, quo nos gloria belli, tot populorum discordia, atque amicorum præsidia vocant. Deos ipsos duces sequimur, quandoquidem a parvulo eam mihi dederint mentem, ut Italiam destinatam animo invaderem, cum primum per ætatem liceret. Ad hanc vocem, cum clamor ingenti alacritate, strepituque sublatum esset, in Italiam, in Italiam, omnes citatis equis, ululatu vario, cantu, buccinatuque moris sui quatientes scuta, vibrantesque gladios, pergere iter contendunt. At ubi Gallum turbinem belli adventare, jamque Alpes transcendere fama percrebuit, Italia omnis concussa; spes, metusque ingens principum animos occupavere. Nam quicumque aliarum patrium erat, novitate rerum percussus trepidare, suis rebus diffidere, cuncta pertimescere: quippe quibus insolentia externi belli, labes, &

Metus Italiæ.

E

macu-



macula hujusce ævi, simul & Gallorum nomen, jam pridem apud omnes nationes nobilitatum, magnum timorem incusserant: reliqui vero, qui Gallorum studia sequebantur, spe tanti præsidii erecti, exardere animis: consilia per litteras, aut clandestina colloquia cum popularibus communicare: regi insistere ne cunctaretur antevenire hostium consilia: ipsi parati, intentique cuncta moliri, quæ bello usui forent. Ita a diversis diversa studia, consiliaque tunc in Italia agitabantur, ac pro suo quisque metu, aut spe fallacibus auditoribus periculum, vel fortunas suas metiri: neque defuere, qui temere creditis portentis, prodigiisque tanti belli molem in religionem verterent: ut perstringit interim timor quasi per caliginem aciem animi, stimulatque simul libido immortalitatis.

In Italiam igitur æstuantem inter fortunæ ludibria, laborantemque intestinis fluctibus Carolus descendit; qui superato saltu in eo loco, quem Gebennam veteres dixere Italiz peropportunum callem, unde flumen Druentia initium capit, per Taurinos, ubi primum Hannibalem illum cum omnibus copiis constitisse tradunt, in Hastam Pompejam pervenit. Id oppidum Gallorum est venientibus e Gallia ultra Alpes Julias extremum, ubi primum sub ipsis radicibus montium paulatim se campi demissi in latam planitiem diffunduntur. Eo Maurus apparatu magnificentissimo obvius regi fuit, quod apud Italos hono-  
ri

ri ducitur; exceptusque perbenigne a rege est, simulque a proximis genere, ac fortuna insignibus. Postridie ejus diei cum omnem belli rationem, constituisent, convenissentque de præstandis pecuniis, rex numero copiarum inito, stipendio dato abunde militi, atque omnibus rebus ex sententia comparatis, Ticinum versus contendit. Quo cum venisset in regis ædibus, quæ arcis tenebant locum, regio apparatu susceptus. Egrotabat tum quidem in eadem regia Joannes Galeatius, quem præter nomen cetera imperio abesse offendimus. Hunc jam in dies morbo ingravescentem Maurus visitari a rege passus est ad avertendam, ut aliqui existimabant, affectati imperii suspicionem. Sed eas res longe aliter evenisse, compertum est: & ex regis medicis Theodorum regi assistere solitum, cum ipse Galeatium inviseret ægrotantem, observaretque, oculis veneficii mala suspitio cepit, quem ipse postea audiui deplorantem principis acerbum exitum: cujus ægroti corpus inspexisset tabidum, livoreque aspersum, veneni inditia præferentis. Hic, ut in tanta re varia fama est, aliis aliter pro ingenio, aut studio sentientibus. Sunt qui ita credant, Vitecomitum domesticum scelus sensim irrepsisse Mauri animo, quandoquidem Joannes Galeatius ea familia ortus Bernabonem patruum dolo captum veneno necaverit: certe Maurus ad fratrum, eorumque filios obscurandam sobolem prædicare solitus fuerat, legitimum sibi obvenisse principatum:

Jo. Galeatii  
mors.

E 2

pro-

propterea quod ex eo tempore, quo pater ejus Mediolano potitus est, ipse ætatis prærogativa reliquos fratres anteiret: quod jure regum hujus memoriæ usurpatum constat, ut ex liberis ætate maximus cæteros omnis imperio antecellat. Gloriabatur enim apud suos, quod & Commodum Cæsarem in ore frequenter habuisse ferunt, solem vidisse se hominem simul, & principem. Plerique hæc, atque alia præterea ficta; excogitataque fuisse existimabant, ab his, qui gravi servitute oppressi invidia exagitabantur. Quin immo Maurum placido animo, mitique ingenio hominem, ceteram vitam huic obstare sceleri; nulla necessitate adductum impelli potuisse ad facinus tam atrox gratuito perpetrandum, cum ad ipsum summa imperii referretur. Apud nos per multum valet natura mortalium avida imperii; studium vehemens in procreandis, alendisque regio cultu liberis; ac, quod multo maximum est, injuriæ opportunitas: quippe præsidente regio exercitu, apparatuque ad bellum extructo Joannes Galeatius extinctus est. Relinquendum tamen in medio quod in utramque partem versatis rationibus, gravius a peritioribus perpendatur.

Sed, ut redeam unde me suspitio tanti facinoris avertit; regem in procinctu belli stantem anceps cura habuit, qua in fines hostium duce-  
ret agmen. Pergenti enim recta in Flaminiam, ubi cum magna manu Ubignim præsidere supra diximus, Ferdinandus cum valido exercitu obsta-  
bat.

bat. Qui etsi impar Gallicis copiis una conjunctis, natura ipsa loci superior videbatur; propterea quod Flaminiae totius reguli cum Alfonso sentiebant, sic animo parati, intentique, ut omnes mallent perferre acerbitates, quam non arcere Gallos per fines suos transeuntes; Gallorum siquidem potentia formidolosa erat. Rursus Carolus si dextera iter flecteret Etruriam versus, superandus fuerat Apenninus saltus, descendendumque in Lunensem agrum difficultate loci asperum, inter mare, ac montes omniumque rerum inopia laborantem; cujus pleraque litora coacta in arctas fauces, stagnis impeditas, munitaque oppidis, ac firmata praesidiis Florentini obtinebant. Hæc cum ita essent, ut undique discrimen instaret, vicit in concilio Mauri sententia, qua per Etruriam primum Florentinos bello premendos esse censeret. Id enim statutum, ac deliberatum animo habebat: jam inde Pisis inhians, qua urbe ut potiretur, externa simul, atque intestina bella excitavit, unde illi postea exitium ortum. Pontremulum igitur magnis itineribus, ut præriperet hostium praesidia, Carolus citatum agmen rapit. Id oppidum forum rerum venalium Mauri erat, in extremis finibus positum, Apenninique dorso circumventum, quod Macra amnis interfluit, Tuscosque a Liguribus dividit. At ubi primum Florentiae per certos nuntios fama stetit de adventu regis, quem rumor antea vulgaverat, magna ( id quod necesse erat accidere in civitate discrimine belli

belli sollicita ) perturbatio facta , immutataque urbis facies : varie hominum animi pro cuiusque ingenio affecti . Pars dolere , quod tanto Regi , cuius majores de Republica optime meriti essent , foedus , & amicitiam petenti denegassent , tutumque iter per urbes , agrosque suos prohibuissent : pars incusare , atque increpare eos cives , qui Gallos bellicosam gentem armis , quam pace cognosci maluissent . Alii penitus imperiti belli artibus , munitamque Italiam Alpibus naturæ præsidio , ac sicuti vallo , & muro contra ascensum , transitumque externarum gentium existimantes , inopinata re perculsi , confternatique , concilia , conspectumque hominum fugere , concurrere , trepidare , miserari occasum patriæ ; neque sibi neque rei publicæ consulere . Senatus inops humani auxilii ad Deos populum , ac vota vertere . Ceterum quibus invisa Petri Medicis , paucorumque potentium factio , quibusque opes nullæ , mala abunde omnia , everfaque republica opus erat , hi fastidire vetera , nova exoptare , armis semet , fortunamque publicam honestis nominibus ad libertatem erigere , Gallis favere , modo per eos potentiores fierent . Plerisque tamen antiquiora omnia , quam decus , ac patriæ charitas fuere . Ea enim res Florentina est , ut admixta plebi nobilitate facillime infecta partibus , seditionibusque , de amplitudine contendat , nitaturque ad altiorum gradum dignitatis , quibus distracta republica , & parum tuta ab intestina vi per se ipsa libera civitas , quæ nulla

nulla concordia constat , & hosti externo quam maxime obnoxia ; unde sæpe a suis sæva imperia ; ab externis incursiones , rapinas , ceteraque hostilia sæpissime perpeffa est : quippe quæ inter humilitatem , dignitatemque versata , nec reipublicæ pondus sustinere , neque servitutis jugum pati potest .

At Petrus ex altissimo dignitatis gradu in tanta mala præcipitatus , quo se verteret diversus rapiebatur : ac modo regi , ut se se dederet , modo in castra ad Ferdinandum profugeret ; interim reddita republica , conciliatisque civium animis in urbe vel extrema omnia experiretur , animo versabat ; æstuabatque dubitatione , ut qui adstiterant facile perspicerent ex oculis , & vultu suspensio ejus animo metum , cupiditatemque certare . Verum cum res eo deducta jam foret , ut moram pati non posset , ipseque a popularibus propriæ saluti consulentibus destitueretur , civitati diffidens , quæ ad fortunæ motum concussa facillime labitur , consilium capit sibi , suæque reipublicæ calamitosum , unde postea clades plurima secuta est . Itaque suscepta sibi a civitate legatione primo Sergianum ( id oppidum Florentinorum erat in faucibus Etruriæ positum ) proficiscitur ; deinde ad regem pergit : quem cum in itinere convenisset seque ad pedes suppliciter projecisset , expurgandi sui causa plurimum adnixus est in hanc ferme sententiam . Se fide , qua nihil apud superiores , hominesque sanctius obstrictum , iter per fi-  
nes

nes Florentinorum regi denegasse, simul & necessitate coactum, ne Ferdinandus civitatis perfidia exagitatus agrum Florentinorum invaderet: idque recideret in auctores fœderis. Tum vero, quod sibi per regium præsidium commodo reipublicæ posset Gallorum sequi partes, se, fortunasque suas, ac demum civitatem regi permittere, præstoque esse, & obsides dare, & imperata facere, neque recusare eam conditionem, quam tanti regis clementia imposuisset. Regi minime gratus conspectus Petri fuit, propterea quod expeditionem in Italiam remoratus esset: simulque Maurus, quique ex nostris in castris aderant, regias secuti partes magnam illi invidiam conflaverant, privatum avertentes odium in gratiam publicam. Oratio vero, quia permagnas opportunitates afferebat, secundis auribus audita est. Itaque rex pro tempore benigne respondit: cujus orationis summa hæc fuit; ut Gallicis præsidiis receptis, auri magnum pondus Florentini penderent. Hæc ubi Petrus accepit, Florentiam prope-re cum litteris mittit, qui ea summo Magistratui significarent. Ipse vero peragendi negotii causa simulans ad urbem reditum, re ipsa, ut civitatem sollicitam a seditionibus in obsequio contineret, quam ocissime Florentiam revertit; regi traditis arcibus Pilarum, Fani Feroniæ, ac Sergiani, quæ Florentinæ ditionis essent. At Florentiæ litteris Petri recitatis, civitas jam antea rumoribus exagitata mirum in modum commota, est,

est, existimans, Petrum sibi ipsi consulentem, rempublicam posthabuisse. Quapropter cupientissimo senatu legantur ad regem nobilissimi civitatis, amplisque honoribus usi, quibus id præcipue mandatum est; caverent, nequid respublica detrimenti caperet, cetera regi gratificarentur.

Hæc, atque alia hujuscemodi raptim, ac turbate agitantibus inter se civibus, stimulante fortuna, Petrus supervenit; cum jam per totam urbem concilia, conventusque fierent, vulgareturque ab illo civitatem proditum iri, denudatisque præsidio oppidis ad urbem actum Ursinum militem, quem antea conduxerat, ut affinium armis fultus (materno enim genere ex Ursina familia natus fuerat) civitatem opprimeret, regis prædæ permitteret. Quamobrem ejus reditus patribus, plebique juxta invisus, promiscue ad libertatem conclamantibus. Quo factum est, ut, dum ille fortunis suis in extremo sitis, civitas libertatis simul, atque ulciscendi studio accensa, salutis suæ, opem ferre conarentur, res haud procul ab armis esset; cum interim per populares factionis incuriam accitus ipse vadens stipatus satellitibus, ab inimicis vi, ferro, minis janua prohibitus domum se proripuit, ibique inops consilii cum modo vim, modo gratiam frustra per fratres tentasset; demum omnes ex urbe Bononiam profugiunt, nullam partem diei, noctisque intermisso itinere. Quod ubi Ferdinandus, qui ad Cæsenam castra habebat, cognovit, Florentinorum ope destitutus;

F

utpo-



utpote qui post Medices exactos Carolum recepissent, Romam cum omnibus copiis contendit; ut ibi communicato cum Alexandro consilio, ac viribus se se, atque urbem tueretur. Callebat enim jam tum vir ad militaria facinora natus bellum fama constare, Gallumque si minus ipse ab urbe Roma prohibuisset, nullo negotio regnum invasurum. At Petrus Bononiz paucos dies commoratus, dum ex fuga, atque animi sollicitudine sublevatur, relictis fratribus, Venetias profectus est.

Ceterum Florentiz, vitio novæ libertatis, cuncta permiscuntur: nunquam fere post urbem conditam tantus motus animorum fuit. Mediceæ factionis principes, alii aliter, fuga, precibus, auro salutem suam redimere; reliquorum pars victis insultare, Petrique domum diripere; pars plebe sollicitata, bonum publicum simulantes direptionem moliri; plerique iræ, atque injuriæ, pauci principatus libidini, nemo fere salutis patriæ obtemperare. Sed ubi primum Medices ejecti sunt, senatus recepta republica Petrum hostem judicat, fratribus exilium indicit, bona publicat; his, qui Petrum occiderent præmia constituit: exules omnes, damnatosque judiciis, in urbem recipit. Ita sui, suæque reipublicæ obliti, ac nihil minus in tanto discrimine rerum quam direptionem, atque patriæ excidium timentes, gaudium, & lætitiâ agitabant. Verum enim vero nequaquam inde tantum gaudii fuit, quanta clades Pisis accepta, fun-

fundo pulcherrimo ; atque firmamento vestigialium Florentini populi : quæ ut primum Carolum receperunt , defecere , vendicaverique se in libertatem publice , privatimque sædo admissio facinore in rempublicam , civesque nostros , ne quis expers sceleris redire ad sanitatem posset . Hoc eodem ipso die , eodemque temporis vestigio , quo Medices exacti sunt , accidisse compertum est : unde Marsilius Ficinus Platonice disciplinæ sectator , & qui in Platone ipso , Plotinoque interpretandis clarus est habitus , affirmare non dubitavit ; Florentinorum de Pisanis imperium eo gravius decidisse , quo una cum fortuna Medicæ familiz corruisset . Hoc quidem certe Mauri astu , operaque suorum assistentium regi Pisanos ad defectionem fuisse sollicitatos : qui cum jam antea Pisas animo destinasset , occasionem nactus per Carolum , proximosque perficiendi negotii , Pisanos insensos jam pridem Florentino nomini , ad arma concitavit ; eoque deinde libidinis processit , ut , in maximo belli ardore , quo pene cuncta Italia conflagravit , summoque discrimine suarum rerum , nunquam remisit animum ab his artibus , quibus urbis Pifarum potiretur , pravo consilio parem adeptus eventum .

Dum Pisis Carolus commoratur , legati , quos diximus primo ad eum missos , quique post exactos Medices supervenere , primi ordinis optimates una regem adeunt supplicatum , ne veteris amicitie oblivisci velit . Florentinos paratos esse in

eodem obsequio permanere, quo majores sui perpetuo stetissent. Nihil populo Florentino antiquius, quam Carolum ad id fastigium ascendisse, quo Dii, hominesque Carolum illum Magnum evexissent: ut ipse magnitudine tanti imperii veluti regnante illo contigerat, non modo incolumis, verum etiam amplissimus atque ornatissimus esset. Itaque rebus omnibus, quæ ad commodum, aut amplitudinem regiam pertinerent, præsto adfuturum. Quod initio foedus repudiasset, non publico factum consilio: sed per Petrum Medicem stetisse, qui veteri factione fultus privatim plus valeret, quam ipsi magistratus. Idcirco, cum primum licuit per adventum regis, exegisse, depulsumque a cervicibus hostem iudicasse, quo libera a gravi servitute civitas integre decernere, ac sequi regis auspicia posset: qua in re, vel Diis patriis, quorum in tutela esset, interpositis, populum Florentinum non defuturum. Ad ea Carolus satis placide verba facit, deprompta (ut postea cognitum est) ex sententia proximorum; quibus prædæ studium potius, quam decus regis, erat. Verum cum ejus vultus, tacitaque corporis figura in dissimulationem parum composita, cum oratione non consentiret, neque dicta sibi constare viderentur (Galli enim sua consilia, haud facile dissimulant) legatos minime latuit astu Gallico moram trahi, direptionemque urbi imminere; cum præsertim jam antea exisset in vulgus ab eo tempore, quo primum Florentini abnueraut foedus,

foedus, regem in eos foedo incendio fore animadversurum. Quod nisi divinitus, ut plerique existimavere, consilium libidini Gallorum defuisset: (minime in re tam trepida, ac recenti libertati prudentia occurri poterat) profecto urbs pulcherrima, atque ornatissima totius orbis a stirpe interisset.

Igitur rex cum magna parte exercitus Florentiam contendens Signiam prope confedit. Id castelli nomen est septem millia ab urbe passuum in colle positum, opportunissimumque omnium ad devastandam ferro, atque igni circumjectam regionem, Florentinosque opprimendos. Quippe situm in colle parum edito, cujus radices Arnus fluvius præterfluit, veluti agger oppugnandæ urbis permagnas habet opportunitates; propterea quod ab ea parte, qua Florentiam spectat, lata planities, solo fertilis, frequensque cultoribus affatim commeatum suppetit, præbetque mœnia usque incurfionibus aditum, paucis tantum hisque vadosis amnibus interfluentibus. Ex altera parte pons lapideus fluminis ripas committit, iterque liberum in oppositam præstat regionem: rursusque si quando usus fuerit, ponte abrupto, tutus ab eo latere collis redditur, nulla prohibita aquatione. Hic mihi extra legem historiarum, deplorare statum civitatis liceat, cum jam prope adesset, ut miserrimi omnium, quos hæc ætas tulerit, videremus ab hoste barbaro urbem inflammari; rempublicam deleri; libertatem opprimi, quam

no-

nostri majores virtute, industria, opibus, plurimo sudore, & sanguine defendissent; cives in servitutem distrahi a complexu suorum, disturbari recta, diripi fortunas, fana, atque templa dirui, occisionem fieri, rapi ad stuprum virgines, ingenuos, matres familias, penates, aras, focos, sepulcra majorum corrumpi; postremo igni, cruore, luctu ubique passim omnia compleri.

Hæc cum ita animis obversarentur, ut jam ferre in ore, atque oculis essent, de capite ac fortunis vel cujusque optimi ageretur; placuit, ut legatio ad regem mitteretur, honoris speciem præferens; re ipsa ad eliciendum tacitum hostis animum, direptionemque si fieri posset, avertendam; sin minus id extorqueretur, Gallusque tergiversando moram agitare, interea sibi quisque cavendum esse sciat, noscatque dolis, aut virtute hostem superandum. Legatur igitur tam gravi periculo Bartholomæus Bondelmontes & Bernardus Oricellarius, qui confestim ad Signiam regem adeuntes in hunc modum locuti sunt. Est profecto, Rex Carole, animi quædam incitatio, atque libido innata mortalibus, ut quæ appetant ipsi, propensiusque sequantur, eadem studio repetendi exardescant, & gratum jucundumque perinde his, quibus cum egerint fore arbitrentur. Hinc factum, ut, cum populus Florentinus semel, atque iterum ad te legatos miserit principes civitatis, nos jam tertio mitteremur gratulatum eo magis adventui tuo, quo propius ad urbem accedis. Nec est cur repeta-

petamus Caroli illius Diis simillimi, cujus nomen, virtutemque refert, promerita, æternaque beneficiorum monumenta, cum jam ipse ex hac specula contemplatus fueris eam urbem, quam Scithiarum, sive illi Gothi, sive Unni fuerint, devastatione prostratam, ille erexit; jura, legesque reddidit; pristino cultu, dignitateque decoravit. Id enim si prosequi in animo esset, forte apud regem in procinctu tantarum rerum supervacuum foret, & in re tam præclara silere satius quam parum ornate ad justam laudem dicere. Recolenda igitur potius nobis illius memoria est, quem finxit ipsa natura ad virtutem, & gloriam; juniorque Carolus, & ipse Magni cognomen promeritus, tamquam sydus alterum suscipiendus. Ille enim rempublicam restituit, præstititque, ut tutam, tranquillamque fortunam traheremus, tu multis, magnisque tempestatibus prolapsam, rursus, ut integram, liberamque haberemus tuo adventu effecisti, immortalium sedem, & locum consecutus. Itaque agrum, urbem, civitatem, libertatemque, qua nihil præstabilius mortalibus ab immortalibus datum, tibi uni accepta referimus, gratiam reddituri, quantam maximam capere animo, fortunisque possumus, si fide homini liceat assequi divina munera. Postremo hoc altius in animum inducere te vehementer cupimus, Florentinos nullam conditionem recusaturos, quam tu republica incolumi imposueris. Ad hæc rex: vestra oratio inquit pro more suo composita, re-

fecta-

fectaque est majorum meritis , multisque nostris beneficiis . Sed quia nihil omnino novi affert , ferreque eadem , quæ & prior legatio fuit , paucis respondendum est ; nulla re mortales ad superos proprius accedere , quam majestate , amplitudine , fastigio , atque apice imperii : unde heroas diis prognatos antiquitas naturam rerum scite admodum præscribens fabulata est . His muneribus summis , quo vos propensius nobiscum egeritis , colendo regiam majestatem , eo senatus , populusque vester Gallo acceptior , apud exterarum nationes tutior , honestiorque futurus . Vos socii fideles , accepti , cultique ; spes omnis tuendi regni Neapolitani , quod jam prope manu tenemus , in vestra fide , officio , præsidio sita . Vobis erit Gallia tota exposita , sive ad commodum sive ad voluptatem uti ea velitis . Cuncta bona , quæ a magnis regibus expeti debent honores , magistratus , imperia , jura regni venalia , in vestra manu sunt . Proinde consulite fortunis vestris , fortunæ regis fastigium in consilio adhibentes .

Verba regis simul , atque Ubigni valentissimæ copiæ post Ferdinandi discessum cum regiis ad urbem primum coniungendæ , eo spectare videbantur , ut Florentinos ad deditionem compellerent : sin minus id liceret , Gallus causam direptionis arriperet : neque erat res in conjectura dubia , sed in presentia , atque ante oculos posito periculo . Quapropter legati ut in atroci negotio , jam ultima pro libertate audentes ,  
regem

regem iterum allocuti sunt . Quæ ipse dixeris , Carole rex , quæque memineris , recte a nobis percepta sunt . Verum si tu salutaria tibi , regnoque tuo , simulque reipublicæ nostræ , quam dictu speciosa audire mavis , illud exemplo veterum libere admonuisse liceat . Romanos , cum jam inde a primordiis terrarum orbem animo destinassent , eum servasse tenorem in rebus gerendis , ut qui supplices in eorum amicitiam venissent , illos humanissime susciperent , liberaliter haberent , eorum præsidio contra hostem niterentur . Testis est Massinissa rex Numidarum ; testis Massilia , Rhodus , ceteræque civitates , quibus fulti , ac veluti arce , imperiique propugnaculis longe a suis sedibus muniti , multa atque præclara facinora fecere . Ipsum præterea belli fulmen Alexandrum , cum primum asperitates omnes supervadere tentasset , tardiusque bello procederet , a Parmenione longe prudentissimo præfectorum omnium scimus edoctum fuisse , ne frequentius prælio contendens fortunæ numen lubricum periclitaretur : quandoquidem non bello magis , quam conditione sit maximum imperium comparandum . Quibus artibus usus rex imperium , quo nullum majus sæcula illa videre , tam brevi adeptus est , ut , quæ de Cæsare dictatore celebrantur , ea Alexandro ascribi possint , eodem temporis vestigio , quo veniens , vidisset , vicisse . Contra Carolus ille Belgarum princeps , ut vel recenti , ac de tuis finitimis sumpto utamur exemplo , non ne ab

G

Hel-



Helvetiis, genere hominum agresti, fusus atque interemptus est, nusquam cadavere ejus invento; propterea quod nimia sævitia, duritieque se se efferens, ferro atque flamma cuncta invaderet, omnesque conditiones aspernaretur? Hæc si te satis movent, ut de Caroli Magni imperio bonis propagato artibus nunc taceamus, cujus gloria proxime ad Deorum immortalium numen accessit, benigne recipere Florentinos debes: officium debitum generi, & nomini: liberaliter cum illis agere, cunctisque juvare commodis; ut ceteri quoque populi nationesve hujusmodi exemplo adductæ regem te omnium maximum, juxta, ac Deos immortales colant, summoque studio, ac pietate prosequantur. Permultum enim valet apud mortales exemplum; atque ex aliena fortuna facere sibi documentum usus ipse docuit magister egregius. Proinde sic habeto, omnium undique oculos in te esse coniectos, te unum intueri, circumspectare, suspicere; ut quidquid egeris, agendum sit, veluti in theatro spectaculoque orbis terrarum. Florentinum nomen haud obscurum, est: urbs Florentia in illustri posita splendoris monumento caput nempe erit, unde tu secundo cursu per Italiam evehctus exemplar futurus sis orbi terrarum, vel clementissimi regis, vel infensi hostis.

Hac habita oratione, Carolus, qui disparem animo vultum præ se ferens ab ejusmodi sententia aberat, hærebatque suis humili fortuna or-  
tis,

tis, inflatisque insolentia tantarum rerum, legatorum verba intervertit, longeque dissentire se dixit. Quin imo exemplum in eam partem accipere, ut, ni potestas omnium ei a Florentinis facta sit, ceteræ, quas ille adisset nationes, idem sibi licere arbitrarentur, Hæc super reliqua tristem, adventum ad urbem Florentiam regi fecere; reddidereque concordem civitatem, antea diversis studiis exagitam. Ceterum legati ab rege ita discessere, ut jam direptionem excidiumque florentissimæ urbis, refertæque divitiis horrescerent. Quippe qui Florentiam regressi cum malam mentem, aversumque animum regis patribus retulissent, senatusconsulto decretum est, ut, nihilo minus, apparatu regio susciperetur: proximi ceterique omnes hospitaliter per domos haberentur, caventibus quisque sibi, fortunisque suis domestico præsidio, quod ministerii munere prætenderetur. Id unum in tanta periculorum atrocitate visum est remedium publicæ salutis. Rex igitur instructis copiis, cunctis ordinibus, sacerdotibusque singulari genere supplicationis obviam prodeuntibus, equo injectus urbem paludatus in Medicis ædibus susceptus est. Adventus ejus, & si minime gratus, celebratior tamen, quam ullus unquam antea fuit, viris, mulieribus, peregrinis promiscue per urbem discursantibus, præferentibusque summam animi hilaritatem: nam & honesti, ex juventute, & cujusque ætatis amplissimi pompæ interfuere.

G 2

Hic

Mediceæ domus  
expilatio.

Hic me studium charitasque litterarum antiquitatis admonet, ut non possim non deplorare inter subitas fundatissimæ familiæ ruinas Mediceam bibliothecam, insignesque thesauros; quorum pars a Gallis, pars a paucis-e nostris, rem turpissimam honesta specie prætendentibus, furacissime subrepta sunt: intimis abditisque locis ædium, ubi illi reconditi fuerant, perscrutatis: quæ sic ornata extitere, ut vel splendidissimæ urbi ornamento forent. Erant sane thesauri veteres pacis diuturnæ, regiæque opulentæ ornamenta undique toto orbe congecta. Nam cum jam pridem gens Medicea floreret omnibus copiis, terra, marique cuncta exquirere, dum sibi Græcarum, Latinarumque litterarum monumenta, toreumata, gemmas, margaritas aliaque hujuscemodi opere naturæ simul, & antiquo artificio conspicua compararent. Quo factum est, longo ævo, quo hæc familia stetit, ut si quid præter cetera insigne ex antiquitate sævitieque temporum superfuisset, veterum scriptorum codices, vasa, e sardonice, ceterisque gemmis cælata, Deliaca, atque Corinthia, lapilli multiplices sculptura, coloreque peregregii; præterea signa, tabulæ, aurum, argentumque signatum perantiquo opere, multa, atque lauta supellex, cuncta quæ animum, oculosque accenderent, undique in domum Mediceam confluerent. Testimonio sunt littææ gemmis ipsis incisæ Laurentii nomen præferentes, quas ille sibi familiæque suæ prospiciens scalpendas curavit, futurum

turum ad posteros regii splendoris monumentum: licet enim ex his conjectari fuisse aliquando apud Medices æqua proportionem reliqua. Testantur itidem Aristotelis Græci interpretes, ceterique vetustissimi scriptores, quos Laurentius, ut erueret ex intima Græcia, penetralibusque Turcarum regis, misit Janum Lascarem Græcum hominem, & ab imperatoribus ipsis ortum; qui cum popularibus facile conciliata gratia præstitit, quod antea eum nemo; præstruxitque aditum ad eruenda cetera ejusdem generis, quæ inter spolia capta de Græcis asservantur, ni mors acerba Laurentium præripuisset. Hæc omnia magno conquesta studio, summisque parta opibus, & ad multum ævi in deliciis habita, quibus nihil nobilius, nihil Florentiæ quod magis visendum putaretur, uno puncto temporis in prædam cessere. Tanta Gallorum avaritia, perfidiaque nostrorum fuit.

Senatus igitur, cum pro explorato habuisset, urbem direptum iri, ni se, suaque omnia regi permetteret, crebris legationibus mollire barbari animum adnitebatur: qui secundis rebus se se effrensus in dies magis, magisque insolescere, immoderata, nimisque alta appetere, cetera parvipendere. Ac tametsi res jam fere ad extremum deducta discrimen; magnam difficultatem afferebat, cum alter alteri invisus diverse studerent; rex dominari, nostri libertatem retinere; omniaque essent tumultus, timoris, fugæ plena; tamen quantum consilio, solertia, domesticisque

ar-

armis in re trepida tam exiguo, & turbido tempore provideri poterat, occurrebatur: neque erat quisquam ex omnibus, quin maxime sollicitus suarum omnium fortunarum aut foedissimam mortem, aut miserabilem fugam cogitaret. His angustiiis adeo oppressa civitate, ut de sanguine, & spiritu decertaremus, accidit admirantibus cunctis insperatum, & repentinum reipublicæ præsidium, quod memoratu dignum silentio prætereundum non censuimus, cum sit ad posteros servandæ patriæ incitamentum. Erat Petrus Caponius nobili genere, clarisque majoribus ortus, vir ingentis spiritus, & tum legationis princeps, cujus animum antiqua virtus, ac suorum in patriam fortia gesta, ingens ad facinus egregium stimulus, accendebant. Hic cum de compositione in colloquio cum Rege ageret, rexque a perpetuis orationibus in altercationem venisset, ubi animadvertit, neque concordiae, neque spei locum esse, Gallumque spirantem ad imperium iniquis conditionibus ansam direptionis quærere, confestim extortis e manibus regis scribæ commentariis, ubi capita rerum, quas Gallus depoposcerat, ordine conscripta fuerant, ea omnium in conspectu ita conscidit, ut, distractis in partes varias fragmentis, in integrum restitui minime possent: simulque ad collegas conversus, eamus, inquit, consulturi nostræ reipublicæ, quandoquidem rex tam æquas condiciones respuit. Quod dictum altius in pectus ejus descendit. Itaque ira exardens,

ac

ac metu , anxius ne quid periculi sibi intra moenia molienti a plebe , duce senatu , oriretur , prope Venetias ad Petrum Medicem e suis mittit , qui promissis ingentibus hominem alliciant , ut quam ocissime Florentiam redeat . Nam callidus id tacito consilio festinabat , existimans perfacile factu esse , & per eum pars cum civitatis parte confligeret , proindeque , quod intenderat , urbis potiretur .

Hoc nuntio accepto Petrus inops consilii , quippe qui neque secundam , neque adversam fortunam ferens , nihil sapere pro tanto infortunio didicisset , cuncta sedulo ad senatum defert , orans , atque obsecrans , ut sibi consulat , neque discessurum ab ejus sententia , qua nihil antiquius apud se esset , profitetur : senatus quamvis infestus Florentino nomini , Medicæque familiæ , qua stante potentiæ Venetorum adversatum est ; tamen usui magis , quam odio consulens , ne Carolus Florentinis subactis , porro totius Italiæ imperio potiretur ; Petrum ab rege avertit , asserens , nihil absurdius , quam auctore hoste , cujus præsertim recens maneret injuria , de summis rebus capere consilium : latere dolum , insidiasque , quibus ille , ni caveat , caperetur : senatui , ubi tempus postulaverit , rem , fortunasque Petri , Medicæque familiæ curæ futuram . His rationibus simul , atque senatus auctoritate Medices adductus mandata regis respuit ; Venetiisque substitit , ingenii humani vitio spei suæ indulgens , quod profugus ,

ac

ac patria extorris cordi se esse senatui existimaret. Sed ego comperio decem viros, quorum apud Venetos summa est potestas, Medici custodes certos, indicesque occulte posuisse per homines ejusmodi negotiis versatos, ne furtim ab urbe discederet. Tanta formido a barbaro, vel ipsis Venetis incessit. Rex igitur hac spe frustratus, ubi videt neque vi, neque dolo opprimere posse civitatem concordia munitam, ac nova libertate luxuriantem; (armata enim sæpius discurrebat, volitaratque audacior, quam pro ingeniis Florentinorum, obsederat quoque portas, pontesque interfluentis amnis) præmetuens sibi, simulque necursum victoriz moraretur, ad easdem condiciones recurrit, quas paulo ante contempserat, dilato magis, quam omisso dolo, ut postea perspectum est. Id monumentum libertatis, concordiam civium, fortuna populi Florentini habuit, quæ Gallis prædonum potius mentem, quam hostium dedit. Summa conditionum hæc fuit: ut Florentini magnam vim auri, stipendium ad invadendum regnum militi præstarent: ceterum pondus, cum devicto Alfonso Rex Pisas, cujus præsidio defecissent, restitueret. Id autem cautum non modo tabulis, sed sanctum religione, ac numine, si fides satis tuta in impio deorum metu foret; nam rex in celeberrimo totius urbis templo convocatus, ibi post rem divinam admotus altaribus jurjurando adactus stare conditionibus, quas pepigisset, quod sacrum diis interpositis conventorum

ar-

Conditiones  
foederis.

arbitris , gravissima cæremonia continetur . Postero die , ubi illuxit , ab urbe discessit , adeo quidem tumultuose , ac perturbate , ut consimilis fugæ discessus videretur : neque justum iter conficiens ad primum lapidem consedit . Inde Senas contendit . Discessionis autem consilium , quia non extat certus auctor , Ubigni ascribitur viro , ut in barbaris , integri pectoris , atque ingenii : cuius virtutem , si re ipsa , ac factis , non eventis , ut plerique solent , existimaveris , facile principem habeas imperatorum omnium , quos Carolus in Italiam adduxit . At Petrus Caponius reipublicæ decus , & qui tam turbidis tempestatibus sola præsentia animi libertatem protezisset , postea percunctatus , qua fiducia fretus tantum facinus ausus esset , respondisse fertur , satis abunde præsidii in avaritia Gallorum , pecuniaque civitatis positum esse . Rex Senas validissimum Etruriæ oppidum , occupare conatus , ubi intelligit civitatem jam pridem Gibellinas partes secutam Maximiliani Cæsaris sociam , atque amicam , ibi statim præsidio relicto , ne fidem , quam Gallo præstiterant , mutarent , quod sunt in consiliis capiendis mobiles , Romam pergit .

Hic locus admonet , ut supra repetam imperatoriam potestatem a bonis initiis ortam , ut plerumque fit , demum in pravum abstractam , corruptamque fuisse , cum maxime ad rem sit : quippe cum pontificibus ambitione , communi principum malo , dissensio orta magnas contentiones excitaverit :

H

rit :



rit; unde invidia atrox inter Gelfas, Gibellinasque ( ea ab auctoribus nomina sunt ) factiones exarsit . Satis constat apud Romanos in re militari primas fuisse partes imperatoris , ducisque exercitus , ad quem summa imperii respiceret . Quod munus cum legitime perageretur , demum unum libertate interiit , C. Cæsare post L. Sillam sibi usurpante perpetuam dictaturam . Quo factum est , ut Augustus , ceterique principes , qui deinde rebus præfuere , iisdem artibus usi in vendicanda sibi libertate nomen imperii legitimum , imperium vero regium habuerint . Hinc honestis nominibus quæsitus titulus imperatorius ; munusque , quod in castris ad certum tempus exercebatur , perpetuo factum . Postea vero quum res Romana ad externos pervenit , imperiumque flagitio , atque ignavia elanguescere cepit , modo Hispanici generis homines , modo Dalmatz , interdum Afri occupavere Imperium , donec secessione principum facta , alii alios Romæ , Bizantii , ac demum in extremis terris , ubi sedes habebant , subegerunt . Ita integrum imperium , quo nullum amplius sol illustravit , sæpe , ac sæpius in partes distractum eo usque labefactatum est , ut opportunum , maximeque expositum injuriæ fieret . Hinc excita finibus suis Scytharum sæva gens , sive illi Gothi , sive Unni , aliudve genus hominum agreste fuerint : exciti Vandali , Eruli , Langobardique ; nam antea parere soliti Romano imperio , ubi cognovere , virtutem per socordiam , atque ignaviam de-

defluxisse , primo deficere , mox ultro invadere Romanos cepere : neque pati quicquam asperum , fœdumque intentatum , donec Italiæ vastitas finem libidini eorum fecit : quibus rebus permotus Carolus ille Rex , & Augustus adnitente Leone Pontifice obviam eundum existimavit ; comparatisque e Germania , Galliaque magnis copiis , Longobardos , ceterosque infestissimos populos partim Italia expulit , partim contrivit : qua de re factum , ut cum ille Germanus haberetur , præclaræque facinora fecisset , unde illi cognomen Magni inditum , gentiles , ceterique principes Germani , quasi jure suo imperium sibi vendicantes , modo virtute , modo majorum gloria honestis nominibus majestatem imperii tuerentur , quam demum imminutam Germania , veluti effœta viris , precario retinet , conniventibus magis quam concedentibus cunctis tam abhorrentis a vero muneris fastigium .

Interea Alfonsus , quem omnia , quam ocium , ac quietem malle supra ostendimus , ubi nihil satis firmum contra Carolum esse cognovit , Florentinorum præsidia , quibus maxime confusus fuerat , pro Gallis stare ; Alexandrum nutantem tergiversari ; suos erectos in spem novarum rerum ; postremo hosti secunda , sibi adversa omnia ; ad sanitatem rediit . Verum salubre aliquod consilium , propterea quod intempestive actum est , fœdus eventus consecutus . Rerum enim occasio , quæ præcipuum habet in consulendo locum , præ-

H 2

ter-

termiffa . Is igitur in rem fore credens , fi Mauri invidiam averteret , molitur facinus plus admirationis ad potteros , quam laudis habiturum : regno fe abdicat ; regia labes , & macula ; Ferdinandum filium , quod materno genere Mauri propinquus erat , regem constituit : ipfe veluti profugus fqualore , ac veltitu inculto , capillatioque quam ante , barbaque promiffiore in Siciliam traiecit ; Mazare oppido , quod jam pridem precario de rege Hispaniæ Ferdinando propinqua fibi cognatione conjuncto poffederat , reliquum vitæ acturus . Sunt qui ita exiftiment confilium de imperio deponendo ab Afcanio Mauri fratre profectum ; ita tamen ut auctore sublato ad Alfonfi aures perveniret : certe non abhorret ab ingenio folertiaque callidiffimi hominis , cum uno , eodemque tempore Alfonfum e regno deiceret , & Carolo Ferdinandum opponeret , cujus egregia indoles plurimum præfidii ad regnum tuendum habere exiftimabatur . Verum affinitas , neceffitudoque levis apud reges ducitur : neque Mauro tutum erat ab incepto defiftere , neque in tanto impetu , curfuque rerum Gallorum victoriam remorari : barbarus enim fuperatis Italiæ , atque Etruriæ faltibus , velut objectis molibus , in dies magis , magisque inolefcere , Maurum parvipendere , pro nihilo Italiam habere , maria , atque extremas terras animo jam invadere . Tam insolenter victori exultare licet . Neque id mirum , quippe mortalibus infitum faftidire vetera , ut nova

va conceperint . At Romæ luxuriantis diuturna felicitate , atque indulgentia fortunæ , postquam adventare Gallum nuntiatum est , ingens terror omnium animos invasit . Cernere erat immutatam urbis faciem . Cardinalium plerosque dissimulato metu incedere fastu , ac spiritu supra quam soliti essent : cives , opifices , ceterosque ejusdem generis tristitia affectos circuire concilia , coronas , cœtusque hominum modo frequentes in curia , cardinaliumque aulis , modo singulos fere attonitos , citos sæpe , interim tardos incessu , ut quem timor , ac formido insolens exagitabat . Convectabatur passim ingens sarcinarum copia ; plaustris , jumentis , gerulis cuncta complebantur . Ad ripam , portumque Tyberis navigiorum magna vis : frequens acervus convectarum rerum , quæ exportandæ superfuerant , proxima quæque expositæ præripiente metu : denique omnia obltrepere , circumsonare , fremere . Permulti in divinarum rerum cogitationem versi ad aras , templaque confugere , salutem suam implorantes .

Alexandrum vero multis simul anxium curis , circumventumque difficultatibus , quæ animum diversæ trahebant , id præcipue agitavit , quorsum evaderet tanta belli moles . Conscientia enim scelerum trepidam mentem vexabat : neque satis præsidii in majestate pontificia , neque virium , Ferdinando duce , præfectisque copiarum nutantibus , ad tuendam urbem fore arbitrabatur , undique premente metu simul , & frumenti inopia ;  
quod

quod ne flumine subveheretur, Julianus Ruvera Tyberis ostium præsepserat. Rursus si recederet, fideique alienæ se committeret, anxius erat, ne imminuta dignitate, culpam ex conscientia in se convertendo, obvius injuriæ fieret, cuncta præsertim Italia concussa, nutanteque ad tanti belli motum. Igitur Ferdinando posthabito, Carolum respicere, quibusque artibus molliret ejus animum, cogitare cepit: ratus quod par erat in tanta animorum alacritate, tam inflammato studio juvenem impetu ætatis impatientem moræ, Neapolim, cujus potiundæ spe propinqua tenebatur, advolaturum. Qua propter in illa caligine, ac tenebris totus, & mente, & animo in suas artes versus apparate illum suscipere, atque pro dignitate pontificia se agere instituit: simul confusus Gallorum avaritiam sibi pro munimento fore; qua & ipse laborans, callensque aditus e proximis regis, alios alia via aggreditur, existimans nihil tam munitum atque defixum animo, quin expugnari, ac revelli pecunia possit. Itaque rex honorificentissime susceptus cæremoniis de more peractis, oreque ad osculum ita admoto pedibus, ut a maiestate regia Carolus non discessisse videretur. Id autem occulto præsidio, clandestinaque custodia celebratum ferunt; cautumque ab Alexandro nequa vis subita inferri posset. Agi deinde ceptum de conditionibus, quibus staretur sædus, conventionaque peragerentur. Quarum caput id fuit, ut oppida, præsidiaque in finibus Alfonsi posita, regi

regi permitterentur . Ceterum Cæsar cardinalis Alexandri filius , delitiæ , atque amores patris , cui postea ob regias nuptias Valentino cognomen fuit , loco obsidis apud regem liberaliter haberetur , vir ad omne genus versutix , audacixque accommodatus .

His diebus paucis , quibus hæc acta sunt , accidit quod memoratu dignum existimavimus , cum ad maximam Caroli gloriam , Alexandri vero insignis scelus spectet , quo ipse gravi , diuturnaue infamia flagravit . Aderat tum Romæ Jemin Othoman Mahometi regis filius , qui Constantinopoli de Græcis capta in Europa magnum , atque latum imperium sibi comparavit . Is , cum Baïsete fratre orta de regno contentione , magnoque propterea exercitu utrinque comparato , victus ex prælio Rhodum profugerat ; unde a præfecto ejus loci in Galliam , exinde Romam missus , in liberis custodiis habebatur . Hunc Carolus , quem diximus , maria ac terras concepisse animo , quod erat Jemin manu promptus , munificentia animi carus , acceptusque popularibus , peridoneum natus , quem fratri opponeret , ab Alexandro extorserat , ut suo ductu , auspicioque contra Turcas militaret : existimans permultum conducere Christiano nomini simul , & gloriæ suæ , si ille popularium factione , ac viribus Gallorum fultus cum fratre confingeret ; perfacile factu esse , ut intestino odio inter se certantibus , integrum regnum in partes distractum laberetur . Nihil tam  
fir-

firmum, neque corroboratum vetustate, quin labefactari, frangique discordia possit. Verum Alexander, quem minime decuit, consilio tam salutari adversatus est, lento veneno, ut plerique persuasum habent, opportunissimum rebus novandis hominem aggressus. Nam paucis diebus post sensim irrepente vi morbi Neapoli moritur. Fuit quidem Jemin magna vi animi, & corporis, belli appetens, militaribus studiis inter insignes egregius; qui e custodiis erectus in spem tantarum rerum, vadens in agmine refulgens armis, versicolori veste ita exardescere visus, ad militares motus gestire, jaculari, circumagere tela, ut, & summam sibi gratiam conciliaverit; & maximam de se præstiterit expectationem, si bellum in Græciam transferatur, fore ut Gallus Baïsetis regno brevi poriretur. Quod eo acrius invidiam Alexandri augebat, quia humanitatis expers tradidisse regi hominem veneno infectum existimabatur, partim detractum suæ gloriæ reputans, quidquid cessisset alienæ; partim ne Carolus devictis Turcis bellicosissimis gentibus, eo magnitudinis procederet, unde periculum gravius immineret: in proclivi sibi a scelere culpam esse sentiebat. Sunt tamen, qui inclusa nefariis sensibus sævitia, quæ postea erupit, cruento illo imperio, atque funesto, id flagitiose machinatum credant; simulque quod defraudatus multo auro, quod Baïsetes fortunis suis, atque ocio consulens illi quotannis pendere solitus fuerat, ipse avaritiæ obnoxius

zcius scelere præceps ageretur . Nullus certe pudor existimationis , nulla religio a tanto facinore deterruit .

Ceterum rex Roma profectus tertiis castris in fines Campanorum pervenit . Ubi cum plurima fuorum exde expugnasset oppidum nomine Sancti Joannis , egregie natura , viris , atque opere munitum , quod ibi primum obstiterat Italus , ardebatque furore Gallorum militum , interfectis fere ad unum puberibus , diruit , atque incendit ; in quo nullum teterrimæ crudelitatis genus prætermisissum . Parvi liberi de parentum sinu abrepti in servitutem : parentes in oculis filiorum trucidati : matres miseræ a novissimo complexu liberorum exclusæ , tacita pietate frustra expectantes , ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret : vestales trepidæ e penetralibus extractæ in conspectu , gremioque Deorum , quos ipsæ colebant , trucidatæ : fletus , lamentatio , gemitus tota urbe permixtus . At Gallus natura ferox , vehemens , plurimum interesse putavit ad conficiendum bellum , si obstinatum oppidanorum animum truculento excidio testaretur ; direptioneque sibi obstringeret militum voluntates , quo promptiores ad omnia pericula subeunda forent . Inde in agrum Cassinatem , .os. & fauces regni perventum ; quo ob loci angustias Ferdinandus tueri saltum existimans , copias produxerat . Sed Alfonsi ignavia , quasi pettilentia invaserat militum animos : neque erat unde tam brevi Ferdinandi regia vir-



tus eminoret , præfectis copiarum nutantibus ad fortunæ cursum , inclinatisque semel ad defectionem sociorum animis . Ursini enim duo Nicolas , & Virginius una cum Jo. Jacobo Triultio , dubium fuit , utrum in fide permanerint , an exinde alienato animo postea defecerint , certe perfidiæ macula notati sunt . Quapropter Ferdinandus Capuam gremium , atque præsidium imperii recedere coactus est . Crederes Gallos , quacumque irent , equis , virisque longe , ac late fuso agmine immensum obtinentes loci peragrasse , non invalisse , Campaniam , ceteramque adjacentem oram , ubertate agrorum opulentam , quæ mare attingit ; adeo consternatis omnium animis , vel nullo ultra obfistente , aut demorante iter , agmen processit . Tanta enim , ac tam secunda fama de Carolo fuit , tanta Alfonsi invidia malis propagata artibus , ut apud Gallos nihil impeditum , apud hostes nihil tutum foret . Itaque castella deserui , relictæ , villasque relinqui , aris , atque focis posthabitis ; senes , mulieres , impuberes saltuosæ in loca passim trahi ; validos ad oppida confugere ; viderique cuncta obstrepere , circumsonare , fremere , ululatu horrifico oppida , pagosque compleri ; fumo interdum , noctu igne , speculæ crebræ existere : facesque collutere . Demum quacumque intenderent , omnia in manu hostis esse : nihil invium , atque inaccessum fore : manu , ac viribus cuncta per vulnera cadentesque eripere . Caput tantum , ubi propter egregiam oppidanorum fidem

fidem leni imperio partam, situmque urbis Vulturno flumine munitum Ferdinandus satis firmum praesidium collocaverat, Carolus substitit, dum ille obtinere, hic prorumpere conarentur; Carolus pro gloria, Ferdinandus pro regno contenderent. Qui summo in discrimine constitutus, deserentibus jam suis lubricis in bello versatis, cum de animi virtute auxilium frustra petisset, Neapolim se se proripuit, ut oppidanos titubantes in officio contineret. Sed vetus Alfonsi odium, regia perniciēs, obitabat; neque erat unde labantem regni fortunam sustineret. Quapropter fuga saluti consulens ita Neapolitanos allocutus est; excusans protectionem suam, ut magnum apud illos desiderium reliquerit: quod postea exarsit, ut primum per Gallorum acerbitates deficiendi occasio oblata est. Misericordia enim in profugo juvene, paulo ante rege, facile oriebatur: & ipse, ut fortunae cederent, salutisque suae simul, & patriae rationem haberent, auspiciisque in praesentia victoris sequerentur, persuaserat; dummodo meminissent nulla sua culpa spoliatum regno, fortunisque, quas proavus Alfonsus adoptione relictum, a Joanna regina accepisset. Igitur onerariis navibus in portum demersis, aut igne corruptis, ne hostis eo praesidio potiretur, ipse clam cum paucis e proximis suis collocutus festinabat fugam; cum a Germanis, quibus se, atque arcem commiserat, maxime timendum esse intelligens, exposita ad praedam gaza, proclivi diverticulo per

posticum, quod ad mare erat, se proripuit, tritemumque haud parvo numero Ænariam enavigavit; jam inde præ se ferens belli artes, quibus antevertendo consilia hostium in summum evasit imperatorem.

Ænaria est brevis insula haud ita longe Cumano, Bajanoque sinu, pleraque ferax gignentium, cetera horrida saxis intar scopuli atque exesæ rupis: quo Ferdinandus eo consilio se se receperat. partim quod natura prærupta difficilem accessum habet, partim quod maritima opportunitate tutaque statione navium præstat; quibus commodo transire in continentem, ac tuto recipere possis. Hic obiter attingisse satisfuerit, unde iterum Ferdinandi virtus eniteret, ne properare ad laudes incliti regis, vel omisisse videar. Est in prærupti scopuli dorsa Iscla oppidum arce præmunitum Alfonsi senioris opere; quam valido præsidio firmandam Ferdinandus statuerat, dum comperit præfectum, ut in afflictæ regis fortuna sibi consulentem, perfidiam agitare, neque velle se se regio præsidio committere: quo factum est, ut, cum rex Alfonso Davalo comite, cui plurimum audaciæ inerat, arce reciperetur, ipse præfectum invadens stipatum, armatis arcem simul & proditorem ceperit. Verum Carolus recepta Capua, caput belli Neapolim contendit; quam cum recepisset oppidanis se se deditibus, arces Germanorum præsidio a Ferdinando relictas expugnare aggreditur.

Neapolis Campaniæ vetustissima urbs ad mare

in-

inferum posita e regione Caprearum insulæ se-  
 cessu Tyberii Augusti inclitæ. Hæc situ, mœni-  
 bus, portu succincta, communitaque a meridie  
 secundum litus in cornua circumflectitur admissio  
 mari, quæ molibus immensi operis productis oc-  
 cidentem versus, & Puteolos, portum efficiunt  
 quantasvis capacem navium. Ceterum corpus ur-  
 bis extenditur in continentem molliter ab imo  
 usque in verticem assurgente clivo; productoque  
 in arcum simul atque editiorem collis locum, un-  
 de præcipiti dejectu tutus quam maxime redditur.  
 Formam si vel ex alto, vel e specula circumspe-  
 ctaveris, scorpionis maxime effigiem præbet. Id  
 oppidum senescente jam Capua illustrius reddi-  
 tum; caputque regionis habitum; Ferdinandus  
 senior, vel ociosa ab armis Italia cingere festi-  
 nabat novis mœnibus: produxeratque a litore mu-  
 rum piperino e lapide ad regulam constructo in  
 summum fere montis verticem, munimentum ope-  
 rosum, exornatumque marmore præ ceteris ejus-  
 modi substructionibus, cum mors illum præri-  
 puit, Alfonsusque a properato opere divertit in-  
 gruens Gallorum bellum in expeditionem terra,  
 marique faciendam. Ceterum arces partim in  
 continenti sitæ munitæque lapidum opere egre-  
 gio, partim circumdatæ mari, aut disjunctæ per  
 angustæ ponte præruptæque scopulis. L. Luculli  
 jam pridem villæ, piscinæque longam ac diffi-  
 cilem oppugnationem habebant, si virtuti par fi-  
 des defensoribus stetisset. Verum hi prædæ in-  
 hian-

hiantes, gazam, quam præripuerant, quæque in arce relederat (ceteram enim omnem Alfonso Mazaram abtulerat) respiciebant, verebanturque, ne una cum anima simul amitterent. Itaque salutem prædamque depacti permiscere se regi.

Dum hæc geruntur, segnoiterque a defensoribus resistitur, novum pro diruto ad speciem murum obstruentibus vitiosum opus, Ferdinandus Federicum patrum, cui summam rerum omnium fidem habebat, ad regem mittit cum mandatis huiusmodi. Quando satis ita datum foret, ut regnum tot, ac tantis tempestatibus evectum caderet, Ferdinandum non aspernari eam fortunam, quam dedissent superi; neque esse e cunctis mortalibus, quem mallet quam Carolum excipere. Sed jure quodam regio videri sibi ab eo postulare, ut memor humanarum rerum afflictæ regis fortunæ simul, & secundæ suæ consulat, proinde ne gravaretur ad eas conditiones descendere, quas sæpe victis regibus victores dare consueverant: unde sanctitas regumque clementia, cum diis immortalibus conjuncta a veteribus consecrata est. Si id Carolus permiserit, fore, ut brevi potius regno iisdem, quibus sit adeptus, artibus retineat, neque obscuret ulla unquam oblivio regii muneris posteritatem. Federici oratio haud æquis auribus audita est, tantos, sibi spiritus ex repentina victoria barbarus, sumpserat. Galli enim pro fortuna se se nimis remisse, aut superbe agunt. Itaque Ferdinandus Enariz firmo præsidio relicto

Sici-

Siciliam petit, ut ibi resumptis armis, quod insulam Hispani reges possidebant, cognatione Ferdinando propinqui, regnum recuperaret: quem ferunt Neapolim præterlegentem, sæpiusque, ut sit, desiderio relictæ nobilissimæ urbis, respectantem asservisse consolantibus, se brevi egregia virtute, aut honesta morte rebus suis consulturum.

At Carolus in spem adductus per Ferdinandi discessum Anariz potiundæ, classem ad insulam obtinendam mittit, eo maxime consilio permotus, ne foret hosti receptaculo ad bellum renovandum. Sed validum consilium excepit parum secundus eventus: quippe arx, ut diximus, scopulo undique prærupto sita, difficili ascensu, atque arduo, ab una tantum parte aditum, eumque perangustum habet: qui opere ac defensoribus egregie munitus, propterea quod desperassent oppido, substinuit acerrimum Gallorum impetum: quo residente, gens alioqui bellicosa, veluti infecta, quædam animalia, emisso aculeo, torpescit. Præerat enim arci Indicus Alfonsi frater nobili familia Devalorum ortus, quæ jam pridem in Hispania clara, deinde in Italia clarior belli artibus, fideque egregia fuit, cum insignes animis, pari robore ambo fratres ad omnem adeundam simul vel extremam fortunam regem suum prosecuti sint. Ita Carolus spe insulæ potiundæ destitutus, ad reliqua regni munimenta animum convertit: majoraque in dies agitabat, præmissis in Peloponnesum regulis jam diu e Græcia exactis, qui popu-

popularium animos sollicitarent, cum astu Italico respicere Galliam, ac salutem suam consulere coactus est. Erat Mauro, de quo supra multa habita oratio, satis mite ac facile ingenium, neque abhorrens ab his artibus, quæ principem decent, nisi insitam animo ejus vanitatem fortuna successu civilium, externarumque rerum aluisset. Hic ubi se a Carolo posthabitu iri cognovit, Gallico impetu cuncta geri, majora in dies destinari, metu simul, atque invidia, quibus laboravit, maxime, permotus; primo ab amicitia ejus avertit: dein quibus modis illius gloriæ adversaretur, studuit: existimans florentissimis rebus suis usui fore, si quem ille inconsultius evertexat, opprimeretur. Quo factum est, ut cum Italicos, externosque principes in societatem consilii perduxisset, stimulassetque ad arma, ne diem terendo impotentissimi regis potentia cresceret, ad eam avertendam communi consilio fœdus iniretur. Convenere igitur, quibus invisa eximia fortuna, felicitasque tanti regis fuit, Veneti, Alexander, Maurusque, quo potissimum auctore, atque impulso cuncta agitabantur. Huc accedebant rex Hispaniæ Ferdinandus, Cæsarque Maximilianus, præterea nonnulli occulte hujuscemodi consilii participes: quibus parvæ opes injuriæ obnoxie, Gallorum potentia formidolosa erat.

At Carolus, ubi præsentit Maurum a se alienatum, tantorum principum societatem initam, copias cogi, præsidia armari, urbes, agrosque instrui,





cui fere cuncta suffragabantur, ni ætas regis, vix tantis matura rebus, ægerque suorum animus molitæ, atque avaritia obtitisset. Totius autem rei consilium diversum ab ea fama, quæ plerosque obtinet, ejusmodi fuit, quod egomet accepi, cum legatus apud regem agerem: Carolus, ut Romæ persisteret, pontificiam potestatem constitueret; bonas artes in pontifice creando revocaret: eo enim sceleris provectus erat Alexander nequissimus omnium, quos sæcula nostra viderunt, ut si quis bonarum artium disciplinis, moribusque præditus in ejus locum legitime creatus foret, repperetque illam veterem severitatem, facile omnium animos sibi conciliasset; Christianamque religionem, gravitatemque, ac nomen in pristinum cultum rede-gisset. Nulla enim re alia magis mortales quam religione aguntur; quæ nixa consilio, & armis radices imperii agit, validissimoque robore constans, ac perpetua redditur. Hæc tam salubris sententia frustra in consilio agitata est; fortunaque, ut in plerisque negociis solet, & per-versa consilia vicerunt: dum sibi quisque magis quam regi consulens, Gallix luxur honestis artibus anteferreret; partæ enim ex ingenti præda quam plurimæ divitiæ, quarum comes hospesque voluptas, fluxa ingenia exagitabant: rex vero ætate maxime lubrica, atque incerta facile impulsus ad ocium, & illecebras rapiebatur. Hoc unum, sanitas consilii, ad constituendum Neapolitanum regnum, summamque gloriam comparandam Carolo defuit.

Igi-

Igitur Senas profectus, quod oppidum, ut diximus, præsidio firmaverat, ibi substitit, dum sprete religione, conditionibusque, quibus infidiose convenisset, Florentinis rebus inhiat; moliturque per Petrum Medicem, qui in castris aderat, si quis motus in urbe occasionem novandis rebus aperiret. Qua re frustra in concordi civitate tentata, septaque urbe præsidiis (obversabatur enim civium oculis, animisque illa imago servitutis, quam ille præsens defixerat) Pisas contendit; eo consilio, ut per Lunensem agrum iisdem itineribus, quibus venerat, per Apenninum saltum regrederetur. Quod ubi primum Veneti, Maurusque cognovere, copias ad Tarum amnem contrahunt, ut hosti descendenti in planitiem occurrant. Tarus a Liguribus profluens, aquarum vi, plerumque destitutus, tenuis Padum illabitur, alioqui rapidus ac saxa inter undas secum trahens; propterea quod proluvie nivium magis, quam intervenientibus rivis intumescens, in campum excurrit multo alveo vadoque interjacentem. Loci forma, si e specula circumspexeris, ut ipse nuper e Gallia rediens contemplatus sum, circimaximi effigiem præbet; ut naturæ opere expositus ad illustrandum prælium fuisse videatur. Hic ad ripam fluminis, qui locus postea clade insigni nobilitatus est, Italicum agmen constiterat, longe ab oppido Parma non amplius quam decem millium intervallo; quo celerem receptum haberet, si quid adversi accidisset: quod in causa

K 2

fuit-

fuisse crediderim ( ut sunt Itatorum nimis cauta ingenia ) ne dorso Apennini saltus , ubi loci angustis opprimendus Gallus fuerat , se se opponeret .

Venetorum copiis præerat Franciscus Gonzaga , vir ingentis spiritus , ac manu promptus , ex quo illi postea gloriæ , opesque inventæ : ceteris omnibus , quas diximus Maurum comparasse , Joannes Franciscus imperitabat , qui longe clarissimus Sanseverinæ gentis fidus acceptusque Mauro solertia magis quam virtute præitabat . Hi communi consilio , divisis inter se copiis , ad ripam fluminis confederant , ut cum primum hostis in planitiem descenderet , illum aggrederentur , ne subeundo monte pugna impares forent . Id ubi regi per exploratores cognitum est , ferunt minime quidem perterritum contraxisse in prætorium præfectos equitum , peditumque , perque eos tentasse militum ad confligendum animos ; progrediendi , recedendive consilium pro alacritate , aut segnitie initurum . Quo facto consilioque pro tempore habito , renuntiatur Centuriones Tribunosque omnes ad primum nuntium gestisse , exultasse , concrepuisse armis ; quod facere consuevere , quoties alacritate , ac maximo pugnandi studio exardescunt : denique constanter profiteri virtutem , quam sæpe numero præstitissent ; omniumque esse paratissimos animos confirmare . Rex igitur pauca pro tempore milites hortatus : ac re divina per Eucharistiam ubique passim facta , agmen in aciem edu-

educit ; tormenta , quorum permagnum numerum carris advexerat , à latere disponit , sagittariorum præsidio præmunita , ut suos , si ita usus foret , hostem propulsando , tuerentur . Medium spatium occupaverat eques , pedesque , prætorianorum , Helvetiorumque invicta bello manus : quorum Helvetios more suo pedibus dimicantes in fronte , ceteros pone constituit ; propterea quod equorum robore , simul atque agilitate insignes , ubi pedes promovisset aciem , contis ferire ac perturbare hostem possent . Impedimenta , sarcinas , & calorum , lixarumque turbam , quod reliquum erat exercitus , solerti consilio , ut postea cognitum est , ab acie sejunxerat . Ipse media hastatorum acie veste armisque conspicuus , globo Britannorum assistentium ad custodiam corporis præmuniebatur ; ita ut imperatoris simul ac regis fastigium referret . Ab Italicis vero exercitus in duas partes distributus acie planitiem compleverat ; constabatque perinde equitatu , peditatuque , tormentis cujusque generis , sagittariisque circumseptus : cui quod sæpe in prælio exitio fuit , duo imperatores præerant .

His rebus ita ad dimicandum instructis , eunt insignes armis , atque animis ; spem quisque in dextris pro virtute gerentes , hastas , vexillum , coronas , ceteraque fortibus viris præmia proposita . Ac dum uterque confidit , inflammanturque estuantia pectora , prælium a ferentariis ortum , quod à gravi armatura excipitur . Velites enim , promptum  
ad

ad procursiones genus , emissis hastis , equites ut semel in hostem erecti sunt , cominus gladio rem gerere , impetu ingenti configere ; partim ex equis , partim desilientes , immiscentesque se pediti pugnare ; quisque sibi pro ingenio audaciam , aut pavorem agere . Qua in parte rex pugnam curabat , ibi audacius dimicare . Helvetii , validissimum militis robur , defixis hastis eodem vestigio stabant , donec obnixi pugnandi locum sibi facerent , neque promovebant gradum , priusquam prostravissent hostem . Italus pedes insolens ad stabilem pugnam agilitate magis , quam robore præstabat : obversabaturque concursator , & acer , nullo relicto aditu , quo irrumperе globum Helvetiorum posset ; existimans , si id præstitisset , perturbatis hostium ordinibus , quibus prævalebant , fore ut equitem expeditius adorirentur . Pugna Gallica firmior , & suo , & armorum pondere , vel signo dato , ut quem suorum fugientem viderint , pro hoste habeant . Ab Italis concursatio , velocitas simul , & alacritas major . Utramque aciem & laudis cupiditas , & dedecoris timor ad virtutem excitabat . Nihil , neque apud milites , neque apud duces remittitur a summo animorum certamine . Igitur æquo Marte pugnatum , dum quisque iter sibi ferro aperire contendit , quo initium victoriæ stabat . Multi utrinque pugnautes cadunt sagitta , hasta , gladio transfixi : multi bombardarum turbinibus afflicti pro loco , atque pugnae atrocitate : obtinatis animis præliabantur ,  
pro

pro salute demum , non modo pro gloria certantes ; plerique dum hostem vulnerant , sui tuendi corporis immemores caduntur passim simul undique conferta pugna : coacervanturque , cum alii super aliorum corpora ruerent , integri sauciis , vivi mortuis incidentes cumularentur . Dimicant alii nixi cadaverum acervis , corpora animis , animos spe sustinentes . Omnia obtinet cædes ; ubique foedæ mortes , foediora vulnera ; ubique stridor , luctus , ejulatus , gemitus . Trucidantur longe plurimi secundum flumen : alios in aquam , compulso gurgites hauriunt : quorum ut quisque in fuga postremus , ita periculo princeps : nonnulli abjectis armis trans flumen continenti fuga , qua quemque spiritus deficeret , exanimantur : retracti alii ex angusta semita , qua animus pro nimio timore deterritus aberraverat , propterea quod erant prædivites habiti in vinculis . Confunditur jam tota acies fluctuanti similis , conglobaturque subito coorto imbri ; ut , nisi armorum insignibus interfulgentibus , cetera Gallus ab Italo minime dinosceretur : cum multa cæde majore fuga inter fulmina , & tonitrua exanimata utramque aciem invadit recens miles , præliumque exhorrescit . Eques , pedesque permixtus subteritur , obteriturque , pro loci natura aut hostis audacia : nec Mars tantum sævit hasta , & gladio , sed virorum , equorumque scutis , pectoribusque propellentium . Ruitur in tela , & vulnera ; nec jam arma , aut vires suppetunt : infert pavidos fuga

ga vel in mediam eadem :: fortes lassitudo , & vulnera , & imber pręgravant . Qua minime visa pars firma est , hac concurritur , pugna distinetur , neque facile pluribus locis resistitur , maximaque vi hactis decertatur ; quibus tantum pręvaluisse Italos constat , vel ipsis ingenue fatentibus Gallis , ut ni pugna , cetera impares fuissent , opima regis spolia cladis insignis ad Tarum amnem monumentq forent . Sed debebatur fatis , ut gloria simul , ac salus tanti regis consilio Italico staret .

Erat in partibus regiis Joannes Jacobus Triul-  
tius , clarus domi , militięque ; quippe qui Mediolani nobili genere natus ob egregiam virtutem , magnamque cognationem in vili Mauro , patria aberat , regique se conjunxerat ; vir sicuti ad cetera , ita ad fallendum hostem artifex egregius . Hic maxime , cum arderet furor hostium , Gallorumque aciem jugi maxime pluvia inclinatam videret , ad regem advolat , monetque consilio pariter ac viribus opus esse ; proinde si rebus suis in lubrico stantibus consulere velit , pręsidium ad impedimenta constitutum ocus in primam aciem subducat , diutino pręlio laborantem : quo factō , paucisque ad speciem tabernaculis relictis , duas res consecutus est ; ut pro fessis , exanguibusque integros submitteret , & hostem ad prędam evocaret ; qua opportune exposita , nihil pręstabilius in re militari compertum est . Ordines enim , perpetuum , atque constans adversus hostem telum ,  
per-

perturbantur : imperium contemnitur , nihilque ad præscriptum geritur : cuncta prædandi aviditas simul , ac licentia possidet . At Gonzaga undique circumspectans singula , ubi videt ad sarcinas tumultuari , pugnamque suorum senescere , ratus quod res monebat , quamprimum prædæ studio vacuam aciem fore ; Sanseverinum collegam admonet , hortatur , instat , ut a latere hostem invadat ; honestetque virtute , quod durius fortuna obtulerit ; futurum ut distractis viribus prius opprimeretur , quam præda exinanita acies Itatorum esset ; victoriam , ut plerumque in bello solet , positam in celeritate . Sed ubi animadvertit cunctari hominem , ac per eum stare , quominus iusta acie dimicaretur , veritus Maurum a Venetis sibi præcaventem longe abesse a consociandis armis , destitutus præsidio integro , ex fortitudine animi consilium capit ; densatisque ordinibus , ac facto cuneo fortissimorum juvenum , quos munificentia simul , ac domestico cultu jam antea sibi devinxerat , in hostem prorupit , qua maxime ad regem tenderet , ut illum peteret . At Gallus & ipse certaminis avidus , recentibusque subsidiis fulctus , nihilo secius in prælium ruere , adoriri , ferire , cedere , in hostem incurrere , vulneratos ex acie subducere , integros submittere , laborantibus subvenire , confertissimum quemque invadere ; resistentes alios vulnerare , alios fugam parantes intercipere . Crederes , si ut poetis , historicis quoque mos esset , aquæ magnam vim e rapido

L

flumi-



flumine in mare prorumpentem disiecit salum ;  
 ita cuneo , impetuque facto , dextra , leva , omni-  
 bus occisis , cum arceretur undique , armaque , &  
 corpora hostis obiceret . Gonzaga micans ardore  
 animi ad regem irrupit , dux , cum sæpe alias ,  
 tum illo præcipue prælio insignis . Hic quam acriter  
 pugnatum sit , haud facile est ad fidem dice-  
 re , cum hinc decus regium , ac tam celebris vi-  
 ctoriæ gloria , prædaque maximum incitamentum ;  
 illinc Gonzaga , Italiæ robur , viresque totius Cisa-  
 pinæ Galliæ expeterentur : modo Gallus persusus  
 hostium cruore inter mucrones coruscantes expi-  
 rantiumque cumulata corpora caderet ; modo Ita-  
 lus extremo spiritu exanguis , humique prostratus  
 sævitia barbara jugularetur .

Sed illud maximo argumento est atrocissimi  
 certaminis , quod rex hasta ictus prælio recedere  
 coactus est ; parumque absuit , quin caperetur .  
 Hoc ubi in vulgus proditum , rumoribusque au-  
 ctum est , ut fert libido alendi cuncta in illustri  
 fastigio posita , universa acie tumultuatur ; Galli  
 inopinato malo percussi , trepidare , exultare Ita-  
 li ; his animus , illis timor augeri ; Gonzaga stil-  
 lantem sanguine gladium ostentare ; pro re , atque  
 ingenio quisque sibi fuga , pugna , præda consu-  
 lere : quo factum est , ut dum Gallorum plerique  
 se se recipiunt , Itali insultant , cedentesque acer-  
 rime persequuntur , Gonzaga cognosceret , levi-  
 ter vulneratum regem , haud minus quam antea  
 constanti animo suos ad pugnam revocare . Quod

ut

ut perinde faceret, præliumque restitueret, ipse dissipatos in ordines reducere festinans, comperit illos, quos globo facto diximus petisse regem, ad unum fere interemptos. Quapropter iterum contendens, si per Mauri copias exinanitam aciem re-integrare posset, ubi intelligit vel in tanto successu pugnae residere animos, prælio se ita abstinuit, ut incerta victoria, æqua virtute, atque fortuna uterque recessisse existimaretur, & ambo pares viderentur. Is finis cædis, ac sanguinis fuit. Regi tamen, quod intenderat, iter ad suos in Hastam Pompejam, frustra obnitente hoste, patefactum est, quod summa Mauri invidia stetit: cuius copiis exercitus regius procul dubio deleri poteret, si dux ausus esset vincere. Verum Maurus toga quam armis clarior, dicitur non minus socium victorem, quam Gallum reformidasse hostem; veritus, ne militum robore amisso, quorum plerumque cæde victoria constat, opportunus injuriæ foret. Veteres enim cum Venetis inimicitia intercedebant. Rursus si Gallo secundæ pugnae fortuna evenisset, contusis copiis sibi a rege hoste infenso timendum esse intelligebat: quibus integris tueri se posse existimabat. Adeo suscepisse animum supra fortunam, viresque suas utroque in eventu pugnae videri potuit.

In eo prælio uti ex Gallicis tabulis interpretatum est, fere pares desiderati sunt ad numerum quatuor millium: in his vir fortissimus Rodolphus Gonzaga imperatoris patruus, qui ob exi-

miam virtutem cecidit. Nam sicut æquata ferme pugna, ita clade pari discessum. Raro alias tantis animis justæ concurrerunt acies; Permulti vulnērati; pauci pro numero interfectorum capti: sola enim morte vinci destinasse animis videbantur. Galli barbarie inveterata, nihil reliqui ad favitiam facientes, exemplo simul, & irritamento Italici fuere; unde truculenta trucidatio, vel ipsis interfectores invisa fieret. Quo factum est, ut ex captivis Gallus vir egregius, Borbonem vocant, cum æger, ac vitæ diffidens in prætorium traheretur, non prius a solitudine destiterit, quam multa de salute sua Gonzagam obtestatus, se imperatori dedisset. Verum confecto prælii cerneret quam obstinatis animis inter se concurrissent: nam cum ex oppido Parma confluens turba, visendi simul, ac prædandi studio, cum primum per aversum hostem licuit, perlustrasset recentia cladis vestigia, ferunt pleraque cadavera jacuisse transfixa adverso corpore: nonnulla, ut mors quemque deprehenderat, retinuisse adhuc in vultu atrocitatem animi, quo dimicassent. Videre licuit stragem, qua nullam insigniorem multis antea tempestatibus terra Itala conspexit; omnis enim barbaria teterrima crudelitate repræsentata est. Constrata longe lateque planities limosa erat permixto cadavere hominum, jumentorumque, armorum, tormentorumque magna copia; interea fumante humo cruore, atque tabo infecta. Nam cum ex more barbaro ad Italos per-

pervenerit deglutire signatum implicatumque aurum, ne hostis eo potiatur, ad illud eruendum, e visceribus cadavera cuncta proscissa; fœdum spectaculum, unde magna vis cruoris proluit, infecitque non modo solum, sed pluvizæ admixta in Tarum usque defluxit, madefecitque. Complures reperti haud secus quam fulmine icti: plurimi agentes extremum spiritum adhuc innixi gladio in adiacentem hostem: nonnulli debilitato, & contrucidato corpore pene obruti cadaverum acervis, qui, propterea quod armati inter se conglobaverant, sublevati onere supervixere.

Ceterum regem per hostium fines iter properantem imminens cura invasit, ne omnino frumento, pabuloque intercluderetur. Longus enim tractus ei peragrandus fuerat, crebris oppidis, amnibusque impeditus, antea quam in fines suos, Novariamque ab Aureliano de Insubribus captam perveniret: quo intervallo plures rem posse casus recipere animadvertibat. Quippe campestris regio, quæ a flumine Taro in Hættam Pompeii excurrit, plurimo interfluente amne distinguitur; qui e Ligustinis montibus profluens sæpe inundatione transitum difficilem reddit, ut tum accidit. Præterea oppida, castellaque, quibus frequens regio est, Mauri præsidio præmunita, haud parvam transcundi difficultatem afferebant, hoste post terga relicto. Quapropter in patriam iter, penatesque, armis aperiendum erat. His angustis circumventum regem præda grave omnis generis agmen

men trahentem , Triultius rursus virtute , ac felicitate consilii liberavit : qui princeps Gelfæ factionis ( diximus enim morbo partium laborare Cisalpinam Galliam ) gratia popularium præstitit , ut agmen sine injuria hostilem agrum pertransiret , commeatu , ceterisque commodis , non per urbes modo , sed vicatim benigne expositis ; expeditione frumentaria re uteretur ; omnium rerumque copia abundaret : quod exercitui nimirum opportune a Triultio stetit . Nam Trebia flumini ponte imposito , cum agmen traiceret ; de repente aquæ tanta magnitudo se incitavit , ut summas ripas fluminis superaret , exercitumque dilapsa contiguatione secluderet . Quem Triultii fiducia , præsentiaque animi , qua plurimum valuit , sustentavit ; donec ponte magnis operibus restituto , exercitus pars reliqua transiret : in quo magna solertia usum fuisse regem ferunt ; qui ad ripam fluminis insistens operi , non prius discesserit , quam ratibus lintribusque conjunctis , commissoque rapidissimo amne , ad unam milites omnes transduceret : itaque exercitu incolumi Hastam pervenit .

Hoc interim tempore , Aurelianus Novariæ cuncta moliri , quæ distrahere Mauri vires , remorarique vim hostium possent . Putabat enim , si regis copis coniungerentur , Maurusque ab ea parte premeretur , fore , ut ipse brevi Insubrium regnum recuperet , jampridem a Francisco Sfortia occupatum . Quippe materna cognatione e Vicecomitum familia originem trahens , quam in-  
Phi-

Philippo defecisse supra ostendimus, jam primum ad res repetendas inhiaverat, adnitentibus regulis Alpium accolis, quibus ipse acceptior ob generis nobilitatem consilium suum aperuisse dicitur. Quod exequi, nisi per occasionem noluerat; propterea quod regis conditionibus cautum Mauro fuit, ut ille ab Insubris, regnoque, quod sibi materno jure deberetur, abstineret. Sed ubi primum licuit per Mauri defectionem erigere animum, a Carolo impetravit, ut suo Marte repolleret regnum, quod Maurus genere impar ( si quidem Blanca mater Philippi filia ex muliere, suscepta erat, quam unice amaverat ) retinisset: unde simultates, inimicitiaeque inter eos exerceri coeptae; quibus demum Gallia fere cuncta exhausta, Italia pene dilacerata est. Novaria oppidum vetere fortuna opulentum per magnum dedisse pondus Gallicis rebus videbatur: quippe in limine Italiae positum ab ea parte, quae ad Alpes Julias, & Verellas spectat, cum non longius triginta millibus passuum a Mediolano distet, maximas ad bellum opportunitates afferebat; si Carolo per iratam his uni licuisset; idemque illi animus extitisset in debellando hoste, qui postea Aureliano successor fuit. Itaque Maurus praeripiens regis in Transpadanam regionem adventum, oppidum undique corona cinxerat, adnitentibus Venetis, a quibus non alias magis in Italia validiora fuisse exhibita praesidia constat. Verebatur enim, ne res Insu brium ad se recideret, Gallo-  
rum-

rumque potentiam horrebant. Qua in re, propterea quod urbis expugnatio nequaquam armis tentata, neque in obsidione solvenda praelio decertatum est, res magis fama, quam gloria gesta: nam etsi rex Vercellas copias promovit, ut inde obsidentes aggrederetur, nunquam tamen armis contendere ausus est. Maurus vero domi, quam militiæ clarior diuturnitate simul, ac tædio obsidionis bellum extinguendum esse censebat. In eam enim spem venerat, se sine pugna, & sine vulnere suorum rem conficere posse; unde postea in castris Venetorum satis constanti fama pervulgatum, premi æque ac Gallum longa obsidione Venerum, quandoquidem Maurus exhaustis sociorum simul, atque hostium opibus tam segniter consulto protraheret oppugnationem.

Itaque bellum producitur, firque obsidio, atque oppidi circummunitio in dies arctior, tam undique premente odore terro ob multa cadavera, præterea aquæ, cibariorumque summa inopia, ut pares acerbitates haud sæpe pertulerint ulli mortales. Sed vetus miles assuetudine mali efferaverat animos: oppidanus vero partim spe, partim exemplo inopiæ sævitiam sustentabat. In quo minime fraudandus est virtute sua Aurelianus: quippe quem ferro, ac fame, vel diuturno morbo quartanæ conflictatum ex diutina conclusione, ac mutatione victus, animi vires infirmitas corporis non retardavit. Quinimmo diu noctuque obequitando, interim pedes strenui imperatoris simul

mul, & militis munus obierit : dum regis subsidium in dies frustra expectando, modo bonum habere animum oppidanos jubet ; modo praesidiis desperatis ipse de constantia animi petens auxilium dissimulando perseverat, hortaturque, ut quam Dii fortunam dedissent, una æquo animo paterentur. His angustiis, dum uterque confidit, suppeditaque e Germania expectantur immenso stipendio comparatz, de pace a Triultio agitari coeptum. Is enim quammaxime regi fidus haud alienus a Venetis erat : quippe ex eo tempore, quo Vicecomitum familia stetit secuta Gibellinas partes, adversa Gelforum factio semper grata, acceptaque Venetis fuit : cujus principem fuisse Triultium supra docuimus. Verum, ut in re maxime ardua, pax diu frustra agitata ; dum pro se quisque conditionibus præferri, interimve capere dolis hostem studet. Certe in eas condiciones a Gallis perventum, ut Maurus imperium deponeret, Franciscus Joannis Galeatii filius obtineret ; Veneti ob exhaustas bello opes, urbem Cremonam ; adjacentemque oram de Insubribus obtinerent. Hac a Gallis pro more suo pervulgata Veneti rejecisse dicuntur, dum illi se fidem præstare, retinereque in officio Maurum student. Sed cogitantibus rerum, atque hominum conditionem, minime alienum id videri potest a Triultii, ac Venetorum ingeniiis ; cum Franciscus per ætatem obnoxius iniuriæ foret, rerumque administratio ad Triultium, ceterosque Insubrium proceres,

M

qui



quī in procuratione regnī essent , pertineret . Quod eo facilius crediderim , quia post Caroli mortem a successore Aureliano cautum Venetis fuit , ut Cremonam , agrum , castellaque hujus ditionis obtinerent . Illud tandem , si vera tacere nolumus , haud obscurum est , cunctis adeo extitisse proclives ad ocium , ac mollitiem animos , ut potiora omnia quam decus , atque gloria fuerit . Quippe Gallis peculiare est per luxuriam effundere , quod deprædaverint : rex autem licentia , atque ætate præceps ad explendam animi cupidinem in Gallicos luxus rapiebatur : proximi vero , partim invidia æstuabant , ne belli eventus , occasioque in se unum vertendæ gloriæ Aureliani virtute cederet ; partim regno consulentes , quod olim contra Carolum arma cepisset , ei minime deferendum regnum Insubrium censebant . Hærebat adhuc animis illa seditio , qua ille in regem conspirans acie victus , ac pene obtruncatus est . Contra Mauro , & Venetis satis pro tempore fuerat , re sua incolumi Carolum Italia decessisse , dummodo sumptui , atque pecuniæ parcerent : cui tam foede inservisse Venetos belli exitu comperitum est , ut senatusconsulto præscripserint militi stipendium ad constitutam diem , post quam discedere ab armis liceret . Multa prætereo consulti , quæ forte desiderarent argutiora ingenia ; sed quia nobis parum convenire tantæ obsidioni , magnoque apparatui visa sunt , ( Bellum enim gestum est consiliis , magis quam armis ) in medio

dio relinquimus , cum præsertim alio properare tempus moneat , quo festinat animus , ubi quam primum posita in excelsa loco virtus elucescat . Fœdus igitur , Novaria excepta , quæ Mauro red- dita est , ad speciem percussum ; hinc inde reddi- tis captivis , restituta classe , subductaque ratione pecuniarum , quæ sub adventu in Italiam creditæ parum caute fœdere extiterunt .

His rebus ita constitutis Carolus felicitate , quam gloria major in Galliam profectus est : ne- que deinde insigne aliquid ab eo gestum . Fuit Carolus avidus gloriæ , sui profusus , ingenio va- rius , atque acuto quodam lepore solers ; ita ta- men , ut stupiditas quædam inesse appareret : cor- pore autem brevi , capite , ac pedibus prægrandi- bus crure gracillimo , oculis glaucis , adunco , ac prominenti naso : denique corporis totius ha- bitu usque adeo ab iusto abhorrenti , ut fere monstri hominis speciem præ se ferret . At Fer- dinandus , quem diximus in Siciliam trajecisse , ubi intelligit Carolum in Galliam properantem Italia excedere , ad regnum recuperandum animum in- tendit : quippe in rem fore credens expectare , donec Gallorum satietas Neapolitanos , ceterosque regni indigenas caperet , gentem mobilem , novisque rebus studentem . Interea classem exornare , trans- marina auxilia ab Hispaniæ regibus arcessere : denique cuncta moliri , quæ tantæ rei usui fo- rent . Verum ne per moram subveniendi sociis , eorum animi fluxi prolaberentur , in continen-

tem traiecit : ibique cum Consalvo Ferdinando ,  
cujus postea spectata multis , magnisque rebus vir-  
tus fuit , consociatis armis bellum renovare ag-  
greditur . Præerat tum Consalvus copiis , quas pri-  
mo Hispaniæ reges Alexandro pontifici miserant ,  
cum ille suos parum , ut sibi videbatur , obse-  
quentes persequeretur ; deinde Carolo invaden-  
te regnum in Ferdinandi auxilium transtulerant .  
Excitabantur tum maxime in Brutiis incendia bel-  
li : dum Gallus pro more suo victoria exultans ,  
potiri omni regno ; incolarum pars loco magis ,  
quam firmo præsidio freta præstare fidem vel ma-  
ximo in discrimine Ferdinando studet . Leviam ta-  
men prælia , tumultuariaque , nec justis belli ar-  
tibus commissa ; sine signis , sine ordinibus eques,  
pedesque permixtus : propterea quod Ubignis præ-  
fectus equitum a Carolo missus in eam regionem ,  
multo quidem , sed parum forti milite utebatur ;  
Consalvus vero solertia , ac virtute præstabat , sum-  
mæ diligentia addens summam imperii severita-  
tem . Eratque huc deducta res , ut qui oppidum  
regium obtinisset , quod ad Gallos defecerat , is  
superior videretur ; cum Ferdinandus supervenit  
satis parva manu juvenili ardore præceps ad op-  
primendum hostem : quo factum est , ut dum ve-  
tus miles novum elicit ad excursiones fugiendo ,  
insequendoque , parum abfuerit , quin prælium si-  
mul , ac bellum conficeretur . Quippe per Consal-  
vi discessum Ferdinandus tumultuario milite in-  
cautius proventus , in hostium insidias incidit : ubi  
de-

depugnare coactus iniquo loco fortiter dimicans pene obruitur, suffosso equo, cujus ferocitate insigni ab oppugnantibus se se defenderat. Sed fato datum, sive consilio Deorum immortalium, ut e manibus hostis eriperetur; qui deinde in regno recuperando rem militarem in Italia diuturna pace prostratam erigeret, documentoque barbaro foret, Italis, gentique Romanæ olim stetisse armis imperium orbis terrarum. Igitur armiger regius Joannes Capua accurrit jacentem regem erecturus; dum ille agilitate, qua maxime præstitit, subnixus, equo armigeri inter tela, & gladios hostium vitabundus in castra proripuit. At armiger telis confoditur, pietate immemor sui protegendæ corporis. Is erat unus ex omnibus regi longe acceptissimus, flore ætatis, ac forma, ut quidam putant, conciliatus habitusque in delictis: qui decus servari regis, propterea quod vitam ejus prætulit suæ, vel ab ipsis hostibus celebratur, sera pœnitentia indolentibus tam præstanti virtute juveni intulisse manus. Rex vero prosecutus nomen, ac memoriam munificentia in fratres propinquosque ejus, ceteros acuit ad emulationem virtutis.

Interea, quo hæc gesta sunt, accidit, quod multo maxime miserabile fuit, Diis hominibusque invisum. Cætarum arrectis in defectionem animis, Ferdinandi præsidia expectantes, humani ingenii vitio mora exagitabantur: qui partim nimio studio præstandæ in regem suum fidei, partim quia

Gal-

Gallorum acerbitates diutius ferre nequirent, despecta paucitate ad Ferdinandum deficiunt, subita, ac immatura acclamatione, unde mox illis exitium, civitas magna, atque opulenta cuncta prædæ, aut pœnæ fuit. Nam Gallus vetus miles primo existimans hostium copias in propinquo fore cuneatim substitit pro re, atque loco excepturus impetum, cum in una virtute salutis omnis spes consisteret: deinde ubi illa formido mentibus discessit; verso repente in iram meru, acuere animos, suo more conclamare victoriam, ac veluti rabie accensus in oppidanos incompote ruentes prorumpere: pars confertim obsistere ad exitus viarum, magnum numerum pauci sustinere; pars superne decurrere, demum enixe, undique invadere, terrereque ipsa præsentia animi, clamoreque horrissono imbellem hostem: insuper magna verborum contumelia ignaviam objectare: gestare lanceis præfixa capita, extollereque alte gladios imbutos sanguine cervicibus ipsis minitantes. Fit prælium fœdo excidio civili miserius: in angusto ferrum, ac manus contulerant; cuncta dissonis vocibus, permixto gemitu, ejulatuque mulierum, puerorumque lamentantium personabant. Oppidanus hostis loco, & numero, virtute Gallus superat: nec quemquam omnium præda moratur. Tum vero animadverteres vanam esse animorum alacritatem, nullo certo duce, atque imperio firmam, cum suo quisque consilio uteretur, neque ordines, neque signa servantes: quippe per cete-

cetera satis valida Cajetanorum manus, haud magno certamine a paucis profligata est. Pulsi enim retro catervatim ruere alii super alios, stragemque inter se facere cæde ipsa scædiorem. Pars declivem per locum, qua rupes ad mare pertinebant, præceps ab insequentium manibus elabitur: pars in arcum compulsa, adnitenisque depugnare in orbe, dum nimium inter se hæret, implicaturque, ut vix circumagentis armis satis spatii esset, corona cincta trucidatur. Ubi quemque discrimen ceperat, ibi resistere, neque fugere posse, neque quietem pati: niti modo, ac statim concidere, projectisque armis hosti manum dare. Nonnulli mente alienata simul metu, luctuque, velut capti furore incurrunt vel in medium hostem. Ceteri passim dispersi a suis, qua quemque sors obtulerat, alii alia peste juxta boni malique, strenui, ac imbelles absumpti. Raro post hominum memoriam crudelius sævitum. Diu cædes atrox æque fugentium, ac resistentium, armatorum, atque inermium fuit. Convenerant grandes natu, matres, parvuli liberi, virgines, vestalesque. Per paucis effugium patuit: cogebantur enim victi quia cedentibus spes nulla erat, vim vi repellere, dimicareque post paulo interituri: adeo vel imbelles necessitudo in audaciam compellit. Galili devictis oppidanis, eo acrius in omnes sæviere, quo magis defectione irritatis animis existimabant suas injurias ultum iri; simul & nobilissimæ urbis excidio reliquis terrori esse; nequid ejusmodi auderent

derent facinus . Natura feroces , ac pristinæ virtutis memores eripi sibi partum belli decus indignabantur . Ita ira perfidiz a promiscuo facinore cuiusque generis minime abstinuit : profusoque sanguine satiata est . Nihil crudele , fœdum , abominandum in viros , mulieres , impuberes omisum ; inter sacra , profanaque discrimen nullum : nec superfuisset quisquam , ni præcipiti jam in occasum die nox intervenisset . Sævitiæ argumentum , ne singula referam , quæ memorando reformidat animus , exemplo unius rei , quæ nulla religionum , consuetudinisque jura retinuerit , notasse sat erit ; quod sacerdotes cum velamentis , ceterisque Christianis insignibus suppliciter precantes , ut a cæde , & ab incendio parceretur , trucidaverint ; fœdaverintque augusta Deorum immortalium templa .

Iisdem fere temporibus classis , qua suppetiz , magnique roboris auxilia ab regibus Hispaniæ Ferdinando mittebantur , Messanam appulit . Cujus adventu ille admodum lætus ( maturum jam videbatur repeti patriam , eripique e Gallorum manibus ) freto in Siciliam transmisit , ubi cum præfecto nomine Icasensi , cui mirificus usus in re navali habebatur , communicato consilio simul atque armis , octuaginta navium numero Neapolim versus cursum tenuere . Erat inter præfectos classis Gallicæ , quæ in portu præsidebat , Gratianus Guerra maritimæ rei longe peritissimus , & qui virtute navali gloriam in invidiam vertisset .

Hic

Hic existimans, quod postea cognitum est, classem hostium milite parum munitam, multus, feroxque instare, ut audacter fortiterque eam aggrederentur: facile factu esse, classariis tantum defendentibus, reportare victoriam, simul atque opima Ferdinandi spolia: occasionis esse rem, non prœlii: id positum in paucorum virtute, dummodo auderent confligere: fortes fortunam adjuvare. At ceteri, sive invidia communi malo, ne id alienæ gloriæ cederet, sive quod Siculorum manu valida instructam classem existimarent, Gratiano adversati sunt. Ita, quod plerumque accidit, fortissimo rejecto consilio, sibi magis quam regno consulunt: occupantque litoris partem ad orientem versus. Magdalena est loco nomen; qua hostem litorum appulsu arcerent, egredientemque navi adorirentur. Ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Naves igitur in ancoris expectantes e regione oppidi, permagnum animorum motum excitavere. Tota Neapolis desiderio libertatis exarsit: plerisque præoptantibus vel iniquissimam subire fortunam, quam Gallorum perferre acerbitates; ceteris vero novis rebus studentibus, quibus ætas, animusque ferox erat. Egredi tamen urbe, aut signum dare classariis ausit nemo: quippe Gallus primo alacrius, ut est ejus gentis ingenium, cuncta præsidiis, vigiliisque muniærat, oppresseratque maturam jam, ac prope erumpentem defectionem. Sed postquam mora res agi cœpta, classis per diem, noctemque ad anco-

N

ram



ram stetit præstolando, siquid in urbe motus oriretur; ipse diutius curæ impatiens vino, lustrisque oppressus elanguescere, custodias remittere: Neapolitani intendere animos cœpere, cum Ferdinandus inscius eorum, quæ agerentur, atque in aliud tempus negotium differendum ratus, naves ad primam auroram solvit, ut Ænariam se se reciperet. Quod ubi primum e speculis, locisque editioribus cognitum est (evolarat jam e conspectu fere fugiens navis prætoria, ceteræque subsequabantur) populares, qui de rege recipiendo conspiraverant, veriti, ne desperatis Ferdinandi rebus initum consilium proderetur, raptim arma capiunt; abeuntem missa propere navicula exploratoria accersunt; furibundique simul undique clamore sublato per urbem discurrunt, certatim pro se quisque alios monendo, alios adhortando, nonnullos impellendo, ut Gallorum grave servitutis jugum excutiant, legitimumque regem recipiant apud ipsos genitum, alitum, educatum; fore ut juvenem nulla sua culpa expulsus regno complexi, ipsi participes imperii ducem magis quam regem habeant: cum illo divitias, honores, magistratus habituros; regias opes, regni procurationem futuram in sua potestate: id rationem, postulare, iustum odium incendere: necessitudinem cogere: Deos ipsos annuere: quibus propitiis, volentibusque tanta classis secundo cursu ex Hispania usque advolasset.

In urbe crebra fortunæ varietate insignis non  
alias

alias magis motus animorum fuit : neque tam affecta ætate quisquam , viribusque tam infirmis , quin eo nuntio permotus , telum , ut quodque fors obtulerat , arripuerit . Adeo simul omnes pertæsi Gallos superbe , atque crudeliter imperantes , regiam Ferdinandi indolem prosequiebantur . Læti primores , lætior plebs , cives , peregrini , viri , mulieres , liberi , servi , circumfusi gratulantesque inter se , ubi locus , aut casus conjunxerat , gaudium , ac lætitiā agitabant , regem suum saluum , beatum , florentem cupiebant . Concurritur ex urbe tota ad eam litoris partem , quam Galli occupaverant , ne hostis continentem peteret : ibique manus tollere undique multitudo , testari acclamationibus lætitiā , gratulari ingenti spritu adventum regis , & se quisque ad omnia audenda promptum , paratumque ostendere : neque fere inventus , præter paucos Gallicas partes secutos , qui , si a tanta gratulatione omnium abstinuisset , non scelere astringi arbitraretur . At Galli ancipiti malo oppressi , cum obsepto itinere reditu intercluderentur , fuga salutem consulunt : ac per montis dorsum , qui urbi imminet , longo difficillique itinere circumducti ad arcem se se recipiunt ; ibique totis viribus aciem instruunt . Præerat tum regno a Carolo relictus Jacobus Borbona amplissimo genere ortus , magnæque habitus auctoritatis , cujus animi virtus nequaquam par generi , ac fortunæ fuit ; nulla enim illustri laude celebratus . Hic una cum Ivo Allegrio præfe-

cto equitum , cuius postea præclarum imperium in re militari fuit , Robertoque Sanseverino , qui olim ob regni seditiones patria , fortunisque extorris in Galliam ad Carolum confugerat , in primis curabant , excepturi impetum validissimi hostis . Interea classis summo omnium studio litori appulsa , peridoneo ad egrediendum loco e regione portæ , qua via fert ad Vesuvium montem : cum præ turba expositus in continentem milles undique impediretur , oppidanusque simul , atque classarius confunderentur , ruentibus aliis super aliis promiscue remigibus , militibusque , ac raptim turbateque cuncta præpropere agentibus . Ibi undique omnia fervere animadverteres , gestire , lætari , certare cum obviis gaudio , consalutare , complecti , Diis laudes , gratiasque agere ; manus modo ad cælum , modo ad regem tendere ; nihil voce , gettu , lacrymis omittere , quod ad summam lætitiæ alacritatem pertineret ; postremo arma , tela , equos , ceteraque instrumenta militiæ parare : ipsi vero in armis esse prompti vel anteire , vel sequi regem , quocumque intenderet .

At Ferdinandus cunctis pro tempore benigne susceptis , haud cunctandum ratus , ne quam rei gerendæ facultatem omitteret , neve Gallis perterritis resumendarum virium spatium daret , Alfonso Davalum , summæ hominem audaciæ præmittit cum manu valida , ad distinendum hostem , quoad ipse instructior in prælium descendat . Sed is concursus , effusioque omnium generum , ætatum ,

or-

ordinum , ea animorum alacritas fuit , ut dum inter vota , precesque , & laudes exquisiti generis lustraret conventus , templa , porticus , celeberrimaque urbis loca , deficeret dies . In quo ne referam , quæ facilius concipi animo , quam describi possunt , illud satis erit profusæ lætitiæ ; circumfluentisque turbæ argumentum , quod tam præcipiti occasione rerum ab armis ad urbana negotia diverterit , prosequutusque sit gaudium , acclamationes , plausum , quæque alia fert studium vulgi significantis immoderatam animi alacritatem . Eo enim provecta lætitia est , ut vel fœminæ ipsæ primariæ , manantibus lacrymis , inter se una mente , ac voce gratantes , oblitæque præ gaudio decoris matronalis , obviam regi occurrerent , complerent coronis , & floribus , contingerent dextram , precatæ prosperum ac felicem redditum , advenisse sospitem gratularentur . Atqui Alfonsus per compendia , & qua proximum iter ad arcem erat , contendens , Gallos concursantes , neque satis ad dimicandum instructos , repentino incurſu invadit . Jam primi conſervaverant manus , cum inſequentes catervatim ruunt contra vim , & ferrum . Pugnatum ingentibus animis ad eam arcis partem , quæ ad navalia , circumque ea loca pertinet , dum Alfonsus vir ardentis animi ſibi præripere gloriam primi certaminis , Galli miles ſpectatæ virtutis , arcere impetum furentis hostis conaretur ; ille pro aris , atque focis , hic pro ſalute certaret : qui undique conflictatus ſagittis ,  
glan-

glande, jaculis, cum munitionibus magis, quam aperta vi se se defendere statuisset, a properato opere fossam obducit, intenditque maxime ab ea parte, qua proxima tecta præbebant oppidanis aditum ad invadendum hostem. Verum in prælio matura alioqui consilia plerumque irrita hostium celeritas reddit: cum sæpe vel paulo momento, summoque ardore animi fiant maximæ rerum inclinationes: ea enim Alfonsi alacritas, solertiaque in præveniendi fuit, ut uno, eodemque tempore opus perducere (nondum plene erat perfectum) administratos tutari, ac propugnare Gallus cogeretur. Quo factum est, ut ingruente nocte oppidanis socia, alienigenis cæca ex rerum inopia consilium caperet; relictisque necessario ad duo millia equis cum ceteris in arcem se se reciperet: unde ejus diei præfertur opinio, Alfonsum, oppidanosque multis illatis, & acceptis vulneribus, stratoque campo permixto cadavere discessisse a prælio superiores. Porrum certe occupaverunt. Nocte insequenti, ut in re undique trepida, vigilatum, conclamatumque ad arma vano quodam metu, quem fors obtulerat, aut animus insidenti cura anxius sibi confinxerat.

Prima luce Ferdinandus, qui noctu cuncta ad expugnandam arcem comparaverat, tormenta, missiliaque omnis generis, quibus percuteretur murus, arcerenturque propugnacula, disponit; præsidia constituit virorum lecta robora, ne qua eruptio ab obsessis fieret. Multo denique die ipse cum

cum expeditis aciem perequitas insignis vultu ,  
voce , ardore animi munus obire imperatorium  
simul , & regium , versari inter media hostium te-  
la , testis , spectatorque adesse cujusque ignavia ,  
ac virtutis : fortem unumquemque nominans lau-  
dare , ad virtutem erigere spe , premiis , gloria ;  
increpare , sicubi pugna segnior admodum esset ;  
neque permittere liberam muri defendendi facul-  
tatem . At Gallus contra obniti , propulsare , fu-  
rentis hostis audaciam , conatumque comprimere ,  
neque ullum frustra telum ex loco superiore mit-  
tere , audacius quam pro numero militum eru-  
ptione tentare , si quid fortuna obtulisset , quo  
excipere primum ardorem , impetumque hostium  
posset ; dum accersita undique subsidia subveni-  
rent . Vincere enim , aut mori obtinuerant ani-  
mis . Hoc pugnae genere , quum ad arcem magna  
vi ab utrisque decertatum esset , neutro inclinata  
spe , Galli superiores evadunt . Quapropter nimis  
quam obsessos oportebat elati , plenique animo-  
rum , more suo ululatum tollere , maledicere Ita-  
lis , oppidanis ignaviam obiectare : postremo ni-  
hil reliqui facere ad portum invadendum ; quem  
postera die , truci clamore iterata pugna , navibus  
impetu facto , recipiunt . Hunc autem uter obti-  
nisset , propterea quod ad commodum , dignita-  
temque permultum conducirer , in eo verti caput  
rerum , victoriaeque initium videbatur . Itaque  
continenter , ac longe maxima dimicatione ab in-  
signibus virtute , ac genere viris utriusque partis  
xqua

æqua fere manu dimicatum . Et quoniam in aperto res gerebatur , ut nullum duces militesque fortius paulo factum latere posset ; clarissima edita pugna , Gallis ad retinendum recens decus , Italis ad ignominiam refarciendam ; illis tueri , his expugnare locum adnitentibus , unde victoria simul , & gloria constaret . Tum vero cerneret , inspectante Neapoli tota , constratum navigiis portum , litus molesque , refertas milite ; constantem ubique aciem urgentium scutis , micantium gladiis ; volantia utrinque tela , postremo cædem , incendia , naufragia , aliaque omnia , quæ furor , ac libido fortissime pugnantium late subministrat obstinatis animis . In propinquo enim præliabantur , hinc navibus inter se implicitis , hinc continenti , ac molibus theatri speciem præ se ferentibus : unde omnium intentis animis , cum e proximo visus , auditus , clamorque dissonus ad incertos suorum eventus esset pro pugnae varietate , animadverteres modo lætos gestire , insultare , si forte quis popularium navaret aliquid egregium ; modo pavidos suis timere , miserari , dolere si quid adversi accidisset . Quod quidem mortalibus insitum , tum demum elicitur , quum vident fortunas suas in aliena virtute consistere .

Ita hinc inde edita ingenti cæde , majore multo strage , tot circa mortalium animis spe , metuque pendentibus , Galli tandem continenti labore defessi , cujus impatiens ea gens est , pedem referre , ac se se in arcem recipere coacti sunt ,  
jam

jam inde ingenuè fassi nullam supra virtutem Ferdinandi esse. Pauci præ timore ordinum immemores passim, quæ cuique proximum fuit, in miserabilem fugam effunduntur. Pertinax pugna est argumento, plerique omnes quos gesserint animos: quandoquidem ita conflixerunt, ut per triduum, neutramque in partem acies inclinaretur. Galli enim haud multum Italæ virtute cessere: unde fere æquales eo prælio desiderati. Permulti adnantes navibus præpediti magnæ vi telorum undique incidentium, passimque fluitantium constrato mari, foede interierunt: pars, nequid inausum relinqueretur, periculum alio periculo novi, ac fere inauditi generis detrudere contendit: consilium, non alias magis callidum, atroxque in summa fortunæ iniquitate excogitatum. Navibus enim, e quibus pugnabant, de industria suffossis atque incensis in eam necessitudinem rem adduxere, ut demergi sentina hauriente salum, aut hostium navim insilire, cui se obstrinxissent manu ferrea necesse esset, præsensque malum alio malo evadere. In quo illud ex multis ad insignem memoriam præclari facinoris referre satis fuerit, ut pars vulnerati, languidique, etiam quos vires, sanguisque deficeret intra navim, munitionesque hostium concepto igni exardescentes, cadere niterentur: adeo pertinax virtus egregie pugnantium fuit. Ceterum facies ipsa certaminis varia, incerta, foeda, terra, marique horribilis [ parsque ] animis magis quam viribus prælium, neque ullum

O fere



fere atrocius, et cum illis virisque pavis pomicis insignis; quo longe maxima virtus Davalorum fuit. Hi namque fratres pari corporum, animorumque robore, et maximaqueque quod praesentaneum discrimen fortis et audaces, etiam ardua, atque aspera minus potissimum temerant, nec terisque audaciam adderent, Indicus tormentorictus cecidit. Perterritus alios, quod Alfonso fratris affirmatum ad ultionem simul, et gloriam animum accendit. factaque subito via, qua parte hostium confertissimi cunei agitabantur, ita brupit, ut inde inclinatum suorum aciem ipsi confiterentur, dum singulari Davalorum certamine, magis quam reliquorum laudem victoriae ascribant.

Erat non ita longe ab arce ad eam partem, quae juxta litus occidentem spectat, templum edito satis loco situm, quod Gallus invenerat, ne esset hosti receptaculo ad arcem invadendam: propterea quod interjectum spatium, horti olim, delitizque regis, ad arcis fossam, munitionesque protendebatur. Hoc templum natura, atque opere munitum, cum Alfonso frustra expugnare tentasset, dolo aggreditur. Auso namque emeratus prodicionem cum Aethiopo, cui credita custodia fuerat, agit, ut se intra munitiones recipiat. Quod ipse, moliens nocte ingens peditum gemitum proper evaserat, cum vivaciterque singulum sagittis transivit, neque vituperio, ut saepe alias fortuna profectus. Ita Davali fratres nulla magis gnopere hostis audacia oppressi reliquos locum, unde

unde magis, ac magis unica Ferdinandi virtus  
emineret, admirabiliorque videretur: quem non  
alias magis indoluisse constat. Ferunt enim amo-  
re captum sororis Constantiz, quam deperibat,  
tenebaturque lepore, ac venustate, eo gravius  
tulisse mortem ferocissimorum juvenum, fortunæ-  
que acerbiter. Hæc tanta viri jactura ad pri-  
mam lucem gravi consilio suppressa; ne hostis,  
qui in anore erat, secundis rebus ferox, eruptio-  
ne facta, noctu urbem invaderet. Talis apud om-  
nes fama de Alfonso erat: quippe qui una cum  
fratre Indico se totos, & animis, & corporibus in  
salutem gloriamque Ferdinandi contulerunt. Qui-  
ra deinde sepulture habita, monumentum, atque  
inditium virtutis, propinquis decori simul, atque  
præsidio fuit. Hinc ut ulterius progrediar refu-  
git animus, ni prius Alfonso regis de repetendo  
regno consilium proferam. Nam, qui post for-  
dam fugam Mazaræ inter scorta, & epulas asin-  
gionis prætextu delituisse, postulare a Ferdinan-  
do ausus est, ut sibi restitueret regnum: qui ar-  
gute nimis simul, & graviter respondisse fertur;  
prius in posterum confirmari oportere imperium,  
ne illud iterum depositurus foret.

Bello in Italia exardescente, Carolus in Gal-  
lia apoplexia moritur, annum agens nonum, &  
vigesimalum. Patre enim jam senescente, confecto-  
que comitali morbo genitus, valetudinem minus  
commodam a parvis tulit: quam postea præceps  
in Venerem licentia regia simul & Gallica auxit.

Regno successit Ludovicus Aurelianus , longa cognatione pertingens prolem regiam ; ita tradito more , ut quisquis regi propinquior , modo gentilis a stirpe sit , ceteros omnes imperio antecellat . Hic ( ut supra diximus ) materno genere e Vicecomitum familia ortus , jus suum legitime repetiturus de Mauro videbatur ; quod spuria matre natus impar sibi foret . Hæc belli species fuit , prætexitque dominandi cupiditatem ; qua mortales sibi honestis nominibus indulgentes , sæpe , ac sæpius transversis ambitione aguntur . At Maurus , ubi intelligit regnum ad Aurelianium pervenisse , versare in omnes partes anxium urgenti cura animum : sollicitare principes , qui veteres cum Gallis inimicitias exercuissent , quique pollerent opibus : monere , bellicosissimum jam antea ducem ad regni fastigium eversum , ne provehi insolentia sinerent : periculosum emittere , quem cohibere nequiveris : sibi quod immineat periculi , eo gravius accessurum ceteris , quo Gallus clarior victoria de Insubribus parta , prædaque opulentissimarum urbium foret : discrimine suo documentum datum illis cavendæ similis iniuriæ . Verum longe alienus animus a Mauri sententia principibus , ac populis fuit , ambitione simul , atque avaritia , corruptis . Nam Alexander , qui jam diu conceperat animo , quod postea effudit , ut Gallorum præsidio , atque armis Italiam invaderet , cuncta permisceri , quam minus valore ipsos malebat . Veneri enim capientissimæ imperii gens , nihil

magis , quam discordiam molientes , unde sua potentia cresceret , bellum quieti , ac ocio prætulerant . Barbari vero , externique principes , quorum finibus Gallia continenter cingitur , partim cæci avaritia , partim res Italix minus ad se pertinere existimantes , eventum rei expectabant . Quam ob rem Maurus ab omnibus destitutus , inopsque consilii ad bellum accingitur , sera pœnitentia edoctus , supra quam ipse esset , audere .

Hic , ut minime omittam apologum , quem ferunt Aurelium retulisse in concilio , cum de suscipiendo bello consuleret , usus ipse facit : quo maxime ducimur ad repetendam rerum gestarum memoriam . Nam , cum omnium sententia in unum congruerent , expetendum non esse , quod tueri non possis ; cuius documentum sit vel Neapolitanorum recens defectio ; perniciosum bellum , cuius eventu secundo , atque victoria formido ingens finitimis incuteretur , majoresque fluctus pro communi salute redundarent ; ferunt regem ad confutandam suorum opinionem ad hunc ferme modum locutum fuisse . Usu fabula est olim a Maumethe Othomanno longe maximo omnium , ætatis suæ regum celebrata : cuius apud me , pro ingenti ejus virtute , summa est auctoritas . Serpentes varii generis , pro anni tempore cum nimio algore torpescerent , ut est natura sagax , ad salutem sui , fœni acervum , qui in propinquo erat , irrepere , condidereque se ad intimum fœniculi , quo a vi frigoris tutiores essent . Forte for-

fortuna accidit , ut incuria accolæ , cujus res agebatur , admoveretur ignis , incendiumque raptim stramento arido excitaretur : quod pervagatum latius rigentes illi non prius præsentere , quam continenter circumdatum pertransiri oportuit , si evadere adniterentur ; unde festinantibus fugam , quibus plura capita fuere , ut est multiplex serpentum genus , plures distractæque fuere sententiæ . Cui vero contigit unicum habere caput , quod una sententia fuit , confestim aufugit : ceteri , dum multiplici capite dissentiant implicanturque , interiere . His expositis summa animorum commutatio facta ; dum magis unius auspiciis confidunt , quam tot principum studiis , distractisque sententiis deterrentur .

F I N I S .

*Prima editio Londinensis Bernardi  
Oricellarii Historia.*

*Variant lectiones ex MS. Laurent.  
in secunda editione.*

|                                                                 |                             |        |
|-----------------------------------------------------------------|-----------------------------|--------|
| Pag. 3 æternæ gloriæ.                                           | æterni gloria.              | Pag. 2 |
| per ducentefimum.                                               | post ducentefimum.          |        |
| proponerentur.                                                  | proponeretur.               | 3      |
| 4 relata ac per manus.                                          | relieta, &c.                | 4      |
| moverē.                                                         | monere.                     |        |
| 6 animo voluntas.                                               | animo volutans.             | 7      |
| 9 quibus communicandi.                                          | quibus communicare.         | 9      |
| conventus occultissimi.                                         | conventa occultissime.      | 10     |
| 13 indecentis fortunæ.                                          | indecentis formæ.           | 14     |
| 14 curæ insidens.                                               | cura insidens.              | 15     |
| 20 recitarentur.                                                | recitantur.                 | 21     |
| 26 e ferentariis.                                               | a ferentariis.              | 28     |
| 29 expeterent poenas.                                           | expeteret, &c.              | 31     |
| 34 perpendebatur.                                               | perpendatur.                | 36     |
| 37 suppliciter projecisset.                                     | suppliciter projecisset.    | 39     |
| 38 armis (fluctus)                                              | armis fultus.               | 41     |
| 44 uni accepti referimus.                                       | uni accepta, &c.            | 47     |
| multisque vestris beneficiis.                                   | multisque nostris, &c.      | 48     |
| vobis erat.                                                     | vobis erit.                 |        |
| 49 Penetrabilibusque.                                           | penetralibusque.            | 53     |
| 52 Id munimentum libertatis.                                    | Id monumentum, &c.          | 56     |
| 54 postea vero quam res Romana.                                 | Postea vero quum, &c.       | 58     |
| 58 peragerentur. Ceterum.                                       | peragarentur. Quarum, &c.   | 62     |
| 63 natura prorupta.                                             | natura prærupta.            | 68     |
| 70 diversis inter se copiis.                                    | Divisis, &c.                | 76     |
| maxime quidem perterritum.                                      | minime quidem.              |        |
| 75 densatisque omnibus.                                         | densatisque ordinibus.      | 81     |
| in hostem proripit.                                             | in hostem prorupit.         |        |
| 78 ad illum eruendum.                                           | ad illud eruendum.          | 85     |
| 80 miles omnis transcenderet.                                   | milites omnes transduceret. | 86     |
| 81 prætereaque cibarium.                                        | præterea aquæ cibariumq.    | 88     |
| 83 forte desiderant.                                            | forte desiderarent.         | 90     |
| 94 Gallus miles, &c. conaretur.                                 | Galli miles.                | 102    |
| 99 se totis & animis.                                           | se totos, &c.               | 107    |
| 100 cuncta permiscere.                                          | cuncta permisceri.          | 108    |
| Veneti autem.                                                   | Veneti enim.                |        |
| adventum rei expectabant.                                       | eventum, &c.                | 109    |
| Pag. 47. v. 15. <i>suscipiendus.</i> corr. <i>suspiciendus.</i> |                             |        |
| 73. v. 23. <i>residabat.</i>                                    | <i>residebat.</i>           |        |
| 92. v. 22. <i>regium.</i>                                       | <i>Regium.</i>              |        |



D E  
B E L L O  
P I S A N O.





3  
BERNARDUS  
ORICELLARIUS

PETRO CAPONIO GINI FILIO.

✠ ✠ ✠

**F**lagitanti sæpenumero tibi, ut Pisani belli historiam, quam nos superioribus annis, tanquam præludium quoddam studiorum nostrorum scripsimus, ederem, atque ad te mitterem; diu sum equidem adversatus, primo quod aciem ingenii nostri nequaquam eam esse putabam, quæ lucem, in tanto præsertim splendore belli sustinere posset; dein quod a Matthæo Palmerio gravissimo, & ornatissimo ætatis nostræ viro eandem ipsam historiam satis ornate, compositeque scriptam fuisse cognoveram, videbarque patefecisse obtrectatoribus aditum, si me culpare arrogantia crimine

A 2

vo-

4  
voluissent ; quippe qui, si non superandam ,  
æquandam certe ejusmodi viri in hoc scriben-  
di genere eloquentiam mihi assumpserim . Ce-  
terum huic quæstioni cum occurrisssem vete-  
rum , & Romanorum exemplo , videremque ex  
antiquis M. Catonem , Crispum Sallustium ,  
T. Livium , C. Plinium unam , eandemque  
historiam conscripsisse ; subit inde aliud ma-  
jus , multoque gravissimum ; quod cum ratio  
rerum in historia temporum ordinem , & lo-  
corum descriptionem desideret , atque in rebus  
magnis consilia primam , deinde acta , postea  
eventus expectentur , hominumque ipsorum fa-  
ma , natura , ac mores non parum requiran-  
tur ; hæc ego capita historię baud qua-  
quam fueram prosequutus ; sed commentarios  
tantum relictos ab avo tuo Nerio præclarissi-  
mo viro Latinos feceram , ut fere iidem litteris  
Latinis reperiantur , qui Florentino sermone scri-  
pti extitissent . Hæc me reluctantem sæpenu-  
mero flagitationi tue , anxiumque ancipiti  
cura tenerant ; dum nunc tibi gerere mo-  
rem , nunc declinare obtrektorum invidiam  
cupio . Ceteram inter bas angustias fluctuan-  
tem

*tem tua Petre voluntas perpulit , ut cum  
 fungar officio benivolentissimi , & amicissimi  
 hominis , putem calumnias omnium contemnen-  
 das . Mitto igitur ad te lucubrationunculas no-  
 stras , in quibus ; si qua tibi elegantiora vi-  
 debuntur , non mihi , sed Nerio , qui ea tan-  
 quam præclari ædificii formulam reliquerit :  
 si quid autem te minus apte dictum , aut in-  
 compositè narratum offenderit , mihi non Ne-  
 rio , qui prosequi tam alti operis initia ne-  
 quiverim attributum velim .*

1. The first part of the paper discusses the importance of the study of the history of the United States. It is argued that the study of the history of the United States is essential for a full understanding of the country and its people. The paper then discusses the various methods used by historians to study the history of the United States, including the use of primary and secondary sources, and the use of statistical methods. The paper concludes by discussing the importance of the study of the history of the United States for the future of the country.

7

# D E B E L L O

## P I S A N O.

~~~~~

**V**enetis , & Francisco Carrara inter se bello dissidentibus ; tertius is annus erat post Joannis Galeatii infestissimi principis Florentino nomini mortem : Joannes Buccicauda legatus regis Galliarum Genarum præerat , vir ut in Gallis longe prudentissimus . Is cum gratia quæ erat mirifice in Carraram affectus , tum metu maxime , quod Veneti si pristinis viribus adjungerent , quæ oppida ille in Venetiis tenebat , Veronam , Vincentiam , Patavium impotentissimi efficiebantur , quibus remediis huic malo occurri posset cogitare cepit ; quam rem , ut in tanto negotio æquum erat animo volutans , quum ad Carraræ statum , fortunæque defendendas Florentinos adducere opportunissimum judicasset , cum Benedicto XIII. : is tum quod pontificia potestas divisa erat : alter Pontifex Maximus Genarum morabatur , consilium communicat ; existimans id quod evenit , quum Benedictus legitimum a Florentinis dici se pontificem cuperet , qui jam ad Innocentium VII. alterum pontificem legatos misissent , facile eos ad tale negotium

cium adduci possit. Igitur utrisque querentibus consociando rei ratio iudicatur, quam jam tum approbare populi Florentini fortuna videbatur, ni civium nostrorum segne tum in ea re gerenda, cetera egregium consilium obstitisset. Gabriel Maria Galeatii, quem supra memoravimus ex concubina Agnete filius tum Pisis imperitabat, huic omnibus modis persuadere nituntur uti rerum, fortunarumque suarum habeat rationem, propterea quod & potentissimos haberet finitimos Florentinos; & a suis, quod privatis difficultatibus impediti essent, nullum subsidium sperare posset, simulque tentant per Bonaccursum Alderoctum, civem Florentinum, qui tum ibi forte aderat, quid animi ad eam rem Florentinis esset, si per eos daretur Pifarum urbis potiri. Qua quidem re Florentie per litteras Gino Caponio familiari suo, & magnae auctoritatis in republica viro ab Alderocto significata, paucis civium ob negotii magnitudinem communicato consilio, decretum est, ut Ginus causam professionis dissimulans Genuam proficisceretur, ibique quam diligentissime cognitis, quae ex Alderocti litteris acceperat, ex dignitate, atque usu reipublicae ageret. Ginus cum Genuam venisset Alderocto sibi assumpto socio cum Buccicauda colloquitur. Ibi a Buccicauda pro Pisana urbe Florentinis tradenda multa postulata sunt, quorum erat in primis: ut Florentini Innocentio posthabito ad Benedictum tanquam legitimum pontificem legatos mitterent, & au-

ri

ri CCCC. millia partim Gabrieli in solatium amiffæ urbis penderent , partim in Carraræ subsidium erogarent ; quæ postulata , etsi Gino cum propter alias causas , tum propter pecuniæ magnitudinem graviora visa sunt , tamen si libera facultas Buccicaudæ fuisset tradendæ urbis recusanda non videbantur . Ceterum Ginus paucis prius habitis super postulata sermonibus , cum quærens invenisset Buccicaudam potestatem urbis nullam habere , ni quantum ei per pontificem maximum licuisset , qui Pisas profecturus per falsas suspitiones cum sibi timere simularet , a Gabriele impetrarat , ut urbis arcem præsidii causa tenere liceret ; conveniunt , ut cum primum Buccicaudæ , tradendi oppidi libera facultas daretur per Alderotti litteras Gino significaret ; quo facto exactius de conditionibus agendum esse Ginus demonstrat , quas modo aliquam speciem æquitatis haberent , a Florentinis accipiendas non dubitaret . His rebus ita constitutis Ginus Florentiam reversus est . Dum hæc Genus aguntur anxius Gabriel suspitionibus , quas Buccicauda , & pontifex maximus injecerant , ac vehementer suis rebus diffidens Florentiam misit , qui Maso Albitio splendidissimo equiti Florentino , ac tum in senatu potenti suis verbis significaret , Vici , quod est castellum septimo lapide a Pisis Florentiam versus , ut cum eo colloqueretur congredi velle ; habere se de maximis , communibusque rebus cum eo agere . Masus ex consilio Patrum Vicum profectus , atque

B cum



cum Gabriele congressus , post multos ultro citroque habitos in diversas partes sermones , reperiēbat hominem parum sibi constantem ; & ut plerumque in tali negotio fieri solet , pene quid sibi vellet , aut suis conducere rebus arbitraretur , nescire , nihilque firmi , aut certi habere . Nam cum primo Florentinorum societatem appetere demonstrasset , ut eorum nomine , atque opibus suum imperium tueretur ; deinde multa adjecerat , quæ parum ad rem pertinere videbantur : utpote qui mente incertus huc , atque illuc animo ferebatur ; quod Masus animadvertens opportunissimum tempus venisse arbitratus , ut qui quam facillime hanc vel in illam partem dubius animus agatur præclare nosset , statuit Pisanam rem esse tentandam . Sed cum Gabriel ad omnia quæ ad vendendam urbem pertinerent surdas tenere aures videretur , ita discedunt , ut si quod Gabriel egisset de societate ineunda Florentinis placeret , cum mandatis Masus rediret ; quæ res si stare per Florentinos quominus fieret , alias Gabriel se conditiones allaturum dicebat . Hoc ubi Pisis auditum est , patres cum agi de venditione urbis persuasum haberent , paucis post diebus ad arma conclamantes a Gabriele deficiunt , quod ille paulo ante suspicatus cum Agnete matre confugiens in arcem , ibi præsidio prætoris cohortis , quam Rosam nuncupabant , ab oppidanis arcem oppugnantibus se se defendit . Ceterum magis , magisque in dies suis rebus diffidens  
ad

ad Buccicaudam mittit , ut sibi maxime necessario tempore subveniret , qui minime occasionem tam opportunam obmittendam ratus , peditum quam firmissimum praesidium arcis defendendæ causa Pisas misit , Liburnioque in fidem recepto , frumentum , aliasque res necessarias trireme subvehendas curavit , quæ deinde post aliquot com-  
meatus ad Arni fluminis ostia a Pisanis est intercepta . Hoc tempore accidit , ut Agnes , quam una cum Gabriele filio in arcem confugisse supra diximus , cum per pontem ligneum , qui murum muro con . . . . . in arcem ascenderent ; apparebat maxime dubitandum , cum ab illis per urbis murum ad turrim usque libere accedi posset ; locumque assidue bombardæ quater non intermitterent . Hoc per se grave periculum multo gravius nostrorum ignavia reddebat , qui ad arcem tuendam intromissi fuerant ; nam quia comparandi iusti exercitus res non dederat spatium magna ex parte collectitii milites erant , quorum plerique ad primum impetum metu perterriti , quod noctu magnum tormentorum strepitum exaudissent , ubi illuxit , arce excedere contendebant , quæ res monebat id quod accidit , ut arx paulo post in Pisanorum manus recideret . Verum Ginus , qui non satis habebat hæc Raffacano aperuisse , timebatque ne evenirent ea , quæ acciderunt ; legatis exercitus , primisque ex ordinibus convocatis , periculum quod arci immineret exposuit ; maximeque sibi videri dixit in tanta re ,

B 2

ut

ut ex omnibus turmis æqua habita portione, LXXX. numero equites exercitiores, firmioresque ad arcem tuendam deligerentur, hisque centuriones invicem singuli singulis diebus præficerentur; exercitus vero reliquus sub arce consideret, ita ut ad repentinos oppidanorum impetus præsto nostris subsidio esse posset. Quare ad consilium relata, cum ab iis qui convenerant varix sententiæ dicerentur, parsque periculosum esse affirmaret, si ad arcis custodiam equites exercitui detrahantur, alii locum castris idoneum ad arcem esse negarent, ac res inclinare ad Gini sententiam videretur: Andreas Vectorius eques Florentinus, cui summa imperii permissa erat, ab ea opinione dissentiens, nimiumque in tanto negotio consilii sui amator, infecta re concilium dimisit. Ginus Florentiam reversus ubi ea quæ egerat Decemviris ordine exposuit, quo in periculo arx relicta esset ostendit, iis additis, quæ paulo ante de vitando incommodo ipse in concilio agitasset. Verum & ab Decemviris spreta res est, parumque pro magnitudine negotii Ginus auditus, qui ad Ripam fractam, ac Sanctam Mariam recipiendam missus, cum Ripæ fractæ pendere, quas pepigerat pecunias arcis præfecto vellet, hominem terendo tempus conditiones detrectare, intelligebat. Ceterum versando in omnes partes ejus animum miscendo præmiis minas perpulit tandem, ut se, arcemque, & præsidium dederet. Ibi Joannes Malcomettus quidam repertus est homo

mo sane versutus, callidus, & cujuslibet rei simulandæ, dissimulandæque artifex egregius, qui eo per speciem peregrinationis a Pisanis missus, ut arcis præfectum instigaret, atque ab ea, in qua ille perstiterat in Pisanorum voluntatem perduceret: operam suam egregie navasse videbatur si in eo quod promiserat præfectus perseverasset, nec Gini persuasionibus ad propositum redisset. Igitur re comperta quum Malcometti opera præfecti mobilitatem provenisse constaret, Malcomettus ex muro præcipitatur. Ginus Guiglielmo Altovito qui eo hac de causa cum numero peditum missus fuerat, arcem custodiendam tradidit ipse quod castellum Sanctæ Mariæ, cohortis Rosæ præsidio, quæ a Gabriele dimissa sacramentum novum apud nos dixerat, teneretur, Florentiam reverti constituit. Ceterum quum Lucensi via iter faceret, non prius Lucam ingressus est, quam cognovit Pisis arcem ab oppidanis expugnatam, esse, & nostros turres, munimenta que omnia amisisse, cujus mali originem ab ea parte provenisse audiebat, qua ipse paulo ante imminere periculum demonstrarat; nam qui aderant intus turris Agnesæ defendendæ causa ubi bombardam instrui ab oppidanis videbant, quod erat signum ut paulo post saxum excuteretur, quoniam id appareret periculosum, tremere namque turris ad singulos bombardæ ictus videbatur, ex ea se in murum recipiebant, ac mox excusso saxo ad suas quisque stationes revertebatur; quam rem Pisani quum

animadvertissent sæpius id ex locis urbis editioribus conspicati, turrim bombardam ferire non intermiserunt, perforatamque prius per urbis murum occupaverunt, quam qui exierant custodes redire ad stationes possent. Nostri perterriti, quum præterea ne prodiiti ab suis essent timerent, hostibus minime resistentes, omnes se, atque arcem tradiderunt. Ita arx a Pisanis nostrorum potius malo consilio, quam virtute eorum recuperata. Illud autem permirum in ea re accidit, uti prius quæ de expugnatione gesta essent Lucæ vulgarentur, quam ejusmodi aliquid in castris nostris, quæ ad mœnia erant posita cognosceretur: tanta vel hostium virtus, vel nostrorum, qui in castris aderant, socordia, desidiaque fuit. Lucæ hoc nuntio vulgato ita plena erant gratulatione omnia, ita se quisque gaudio, & profusa quadam lætitiâ efferebat: timuerant enim ne ad ipsos recideret Pisana res, ut Ginus siquidem plurimum in Pisano negotio versatus erat, sibi a plebe Lucensi maxime timendum arbitraretur. Qua de re subito inde profectus quum eodem die Florentiam pervenisset, mœstam, turbatamque totam civitatem offendit, ut respublica affecta maxima ignominia videretur. Itaque ab Decemviris convocato concilio, etsi plerisque animus, ut in tanto civium numero fieri consuevit, ab armis aberat, tamen longe prævaluit sententia eorum, qui bellum omni studio suscipiendum censerent. Id ea gratia facilius, proniusque fuit, quod Pisani recupe-

cuperata arce legatos Florentiam miserant, qui dicerent, nos nulla injuria laceffitōs in sinum suæ urbis intrasse, se Deo ab æquiore causa stanti curæ fuisse, arcemque nullo negotio recuperasse; postulare ut Ripæ fractæ, ac Sanctæ Mariæ castella sibi restituerentur. Si in eam rem Florentini aliquid dispendii fecissent, sperare se pro eorum clementia impetrari posse ab suis, ne reddere recusarent. Hæc, atque alia hujuscemodi, tanto spiritu, tantaque arrogantia legati protulere, ut cuncta civitas odio incensa omnia belli incommoda perferre mallet, quam non Pisanos qui tantum sibi arrogassent debellare, atque ita pro tempore responso dato legati dimittuntur. Quum jam hyems appropinquaret, & Florentini copias cogerent, agrestibus quibusdam auctoribus factum est, ut Decemviri de recipienda arce consilium inirent. Id autem maxime hac ratione fieri posse demonstrabant, si præter turrim, quæ Gibellina appellatur, ac per eam portam, qua Pisani na . . . . . Rinerium Saccium equitem Pisanum, atque alterius factionis principem sibi nuper affinitate conjunctum, filio enim ejus gnatam suam in matrimonium collocarat, cum nonnullis ex gentilibus comprehendi jussit. Neque abest suspitio, ut plerique ea tempestate arbitrabantur, quin hos ad mare clam cymba delatos obruendos curarit. Ceterum mors eorum inter omnes constat; quo vero tempore, aut qua ratione cædes patrata fuerit, quoniam res pro magnitudine parum

rum comperta est, non videtur a nobis pro certo esse proponendum. His rebus ita perpetratis Pisani omni studio incumbentes ad tuendam urbem, navim quam belli initio armaverant in Siciliam commeatus causa mittunt. Ea quum circa vada Volaterrana in nostrorum navim longam incidisset, parumque suis ad dimicandum confideret, in fugam versa, portumque intrare coacta ibi comburitur. Hic quantum amor in patriam valeat cognosci potuit. Petrus Maringhius civis Florentinus exul forte nauticam nostra in navi exercebat. Is quum Pisana navis turrim, quæ portui imminebat subiisset, nostrisque iniquissimo loco pugnandum esse animadvertisset, ex navi proiliens, ac læva ad faciem elata ad navium hostium adnatans eam incendit, ibique vulneratus ad suos tandem se se recepit. His ille, atque aliis in patriam meritis, quod præclara quædam, præterea facinora fecisset ab exilio revocatus est. Magno hæc res Pisanos detrimento affecit propterea quod qua maxime conflictari poterant illatum incommodum videbatur; navi enim incensa nimis in longum commeatus dilatus, & ipsi nihil magis quam obsidionem, famemque timebant; nam vi quidem urbem expugnari posse, nihil erat, quod vererentur, quum muro, arce, turribusque munita difficilem oppugnationem haberet, & Pisani quasvis belli calamitates perpeti, quam servitutem Florentinorum subire mallent. Ceterum huic incommodo aliud insuper brevi tem-

temporis intermisso spatio additur uti fortuna, quum irasci ceperit, nequaquam sœvire simpliciter consuevit; nam quum equitum manus satis magna proxime a Pisanis conscripta, cui præerat Angelus Pergula, via maritima auxilio illis veniret cum equitatu nostro congressa, qui eo duce Sfortia, ut eam a transitu prohiberet, missus fuerat, superatur. Igitur Pisanos ad tuendam urbem duobus maximis, maximeque necessariis rebus milite, & commeatu exclusos, quum æque intercludi annona legati opportunissimum esse, censuissent, Laurentium Cotignuolam cum turmis aliquot, qui ab ea parte fruges in urbem comportari prohiberet, oræ maritimæ præposuere, ipsi sub mœnibus confedere. Dum hæc in agro Pisano geruntur, Florentiæ Kal. Januariis Decemviri creantur magistratum Kal. Martiis inituri. Causa creandi ante tempus fuit, ut designatis spatium cogitandi esset, quonam maxime modo Pisanos debellare possent. Hi sæpius, ut par erat in tanta negotii magnitudine super ea re consultationibus habitis, ac totius belli ratione subducta, quum obsidione urbem cingi opportunum existimarent, duo in primis officere posse huic consilio intelligebant; primum si quid a mari commeatus in urbem subveheretur. Ceterum id præsidio navium, castellisque extructis ad utramque fluminis ripam facile prohibere poterant; dein si qua manus externa obsessis auxilio veniret, quæ nostrorum obsidionem solvere posset. Hic potissimum

C

simum



simum a Ladislao Neapolitano rege , & Othone III. , qui belli gloria clarus , & tum militia vacans Parmæ , & Rhegii Lepidi quas urbes occupaverat ( nam Joannes Galeatius vitam jam deseruerat ) degeret : Decemviri timebant . Itaque quibus remediis huic malo mederi possent , quotidie animo agitantes , quum Romæ occupandæ studio regem ardere comperissent , ac tantæ rei singulas undique Italiæ opes circumspectando timere , cum eo conveniunt Florentini ne Ladislaum in Romana re impedirent ; Ladislaus , ut a Pisanis negociis abstineret . Simul Othoni satis profusa largitione facta , ut si Pisani de homine conducendo tentavissent , haudquaquam auditi reiiicerentur . Quibus rebus confectis , ac tempore , & loco constituto , quo maxime castra ponenda essent is autem erat ad ripam fluminis Arni prope ædem Sancti Petri ad Gradus ab ea urbis parte , quæ vergit ad mare , quum jam ver adventaret copias expediunt . Legantur ad exercitum ex Decemviris Masus Albitius eques Florentinus ; & Ginus Caponius , qui subito colonorum , mulionum , fabrorum omnium generum quam magno numero comparato exercitum , ad quem jam castris statuerant locum ducunt . Eo quum venissent cognoscunt Benedictum Rondinellum , qui ad expediendum commeatum in Liguriam , circumque ea loca præmissus scripserat , magnam frumenti copiam comparasse , parum solertem in expediendo eo fuisse . Nam quum ad eum Liburnium le-

ga-

gati misissent, qui frumentum acciperet, tam parva copia ab homine subministrata est, ut in castra delata omnium animos, mentesque turbaret. Verum quum penuriæ quæ causa esset admirati ex eo quæsisissent, ac magnam copiam efflagitarent, reperiiebant Rondinellum nimia usum negligentia parum commeatus hæcenus comparasse, & quod non fecisset pro facto Decemviris retulisse. Quapropter convocato consilio, omnibus equitum, peditumque præfectis adhibitis, quid maxime fieri oporteat in tanta frumenti inopia exquirunt. Dicuntur sententiæ a primis ordinibus, deinceps a reliquis, cunctique privatis commodis servientes recedendum esse consentiunt, atque alias quum provisum de commeatu fuerit revertendum. At legati quorum res agebatur; non tam quod suis commodo, quam quod hostibus detrimento esset respiciebant, videbantque si quid commeatus in urbem per exercitus discessionem importaretur, magnum deinde his ad ducendum bellum momentum fore; præterea fama bella stare, & eum qui recedat ignarum credi. Itaque etsi maxima difficultas rei frumentariæ comparandæ proponebatur, præstare visum est tamen, omnes perferre acerbitates, quam tantam obsidendi Pisanos e manu dimittere facultatem. Mittuntur igitur in Liguriam circumque propinqua loca complures, qui quo in loco Florentini castra haberent significarent, fidemque facerent quicunque eo commeatus comportandi causa ve-

nerit, ipsum portoriis, vectigalibusque immunem jus liberum, atque solutum venditionis habere. Ad hoc missis celeriter Florentiam nuntiis, qui incommoda, quibus nostri premerentur Decemviris nuntiarent, ad omne periculum famis evitandum per tabellarios jubent prætoribus Pisciz, Pistorii, Prati, Sancti Miniata, ut quidquid panis in unaquaque domo reperiretur, Vicum ad eam partem exercitus, quæ ibi in obsidione relictæ fuerat, mitterent ea ratione, ut inde Pisas ad altera castra militum præsidio portaretur. Quo accepto de penuria nuntio prætores, Decemvirique quum nihil sibi reliqui ad celeritatem fecissent, magna vi panis missa, fame exercitus sublevatus est. Ex Liguria vero tanta repente rerum omnium copia in castra confluit, quantam vix longa industria, & diligentia comparare potuisset. Per idem tempus Pisanæ naves onerariæ quatuor e Sicilia redierunt, quæ magnam copiam frumenti advexerant. Hæc quum ad Arni fluminis ripam Florentinorum exercitum consedisse, multas, grandesque bombardas ad eas prohibendas pluribus locis per ripam secundo flumine dispositas esse sensissent; ostia intrare non ausæ, subita tempestate coorta portum Liburnium capere coguntur, ibique a nostris deprehensæ, qui eam partem maris classe navium VIII. pervagabantur, quum iterum sævire ventus cepisset, nostri que funes, quibus illæ ad anchoras deligatæ erant, perumpere conarentur, re desperata se dederunt.

Hæc

Hæc res, id quod necesse fuit accidere, & civitatem Pisanam non mediocriter perturbavit spe maritimi auxilii, commeatusque dejectam, & nostros frumenti copia abundantes ad bellum alacriores effecit. Quo beneficio fortunæ usi legati, ac minime cunctandum existimantes, ne hostis se ex perturbatione reciperet, quæ modo castella Decemviri constituerant, facere aggrediuntur, quorum extructo altero a sinistra ripa, quum pontem in Arno ad alterum contra faciendum ædificassent, opere jam instituto, tanta repente fluminis inundatio facta est, ut omnis contignatio pontis distraheretur, trabesque, & tigna ad totam sustinendam molem machinationibus immissa in flumen quæ IIII. & XXX. cubitis in longitudinem paterent, revellerentur. Qua subita, atque inopinata re legati commoti, quod si quid de castello, quod institui ceptum, neque adhuc perfectum erat, occupando hostis tentasset, trans flumen qui defenderent non haberent, & ipsi propter aquæ magnitudinem transire amnem non possent, omnibus militum præfectis adhibitis rem ad consilium deferunt. Erant fere omnium sententiæ, quoniam ita magno impetu vis aquæ se incitaret, ut transmitti præsidium nullo modo posse videretur ad solum castellum, deiciendum esse, ne esset hostibus, si occuparetur, ad omnes nostrorum impetus receptaculo. Contra Sfortia qui ultimus in sententiis dicendis fuerat, & tueri castellum sibi placere dicebat, & se transiturum flu-

flumen ad illud tutandum profitebatur, hæc vicit in consilio sententia. Itaque ei, ut sibi depoposcerat negotio dato, Sfortia duobus tantum comitibus cymbæ impositis, flumen transmittit. Hoc idem Tartalia, is quoque cum Florentinis stipendia merebat, sed minime eadem de causa, facit. Quippe quum pecora abs se antea capta, ac trans flumen relicta, ponte interrupto interclusa essent, ne ea ab hostibus exciperentur timebat. Dum hæc a Sfortia, Tartaliaque geruntur interim pedites quidam ex agro Pistoriensi, qui in exercitu nostro militabant crebras circum Pisas incursiones facientes, dum temere procurunt ab oppidanis intercipiuntur. Ex his Bartholomæus Gambacurta eques Pisanus, quod plures annos Pistorii commoratus, plerisque notus erat, atque eos noverat; quærit num pons consisteret, quem nostri ad castellorum munitiones ædificassent; an tempestate, & vi lignorum ab his deiciendi operis causa missa, interruptus esset. Qui ut ad primum impetum aquæ pontem corruisse, atque ad id castellum, quod imperfectum erat, nullos præter fabros, paucosque agrestes adesse, ex captivis cognovit; extemplo advocata multitudo ad arma conclamant, atque instructa acie ad castelli munitionem contendunt, ex quibus equites nonnulli quum primi citato cursu se ostendissent, atque omnis peditatus subsequeretur, Sfortia, & Tartalia ex composito equis admissis, quos modo audito hostium adventu singulis singulos traicendos

dos curaverant , in eos impetum faciunt , atque uno tempore ab altera ripa noster exercitus ad dimicandum instructus , magnis clamoribus adverso flumine properabat . Quam rem Pisani quum animadvertissent , novo , atque inopinato malo turbati , quod præter spem , & aciem instructam ire adverso flumine , & Sfortiæ , Tartaliæque se occurrisse videbant , insidias veriti terga vertunt , quos quum se se recipientes Pisas versus Sfortia , & Tartalia , cum iis , qui in opere ad castellum erant , prosequerentur , novissimos , ac tardius fugientes capiunt , reliquos dissipatos more ferarum subire vepres compellunt , quorum pars magna a peditibus nostris spe prædæ mox flumen transgressis , latibulis , & fruticetis est intercepta , signaque militaria nonnulla ex ea fuga relata . Ibi Sfortia dum nimis longe hostes in fugam versos insequeretur equo vulnerato dejectus , circumventusque , parum absuit quin caperetur ; sublatus vero , ac pedibus audacissime proruens in hostem , tandem incolumis evadit . At Pisanis tantus timor ex accepta calamitate incessit , ut nunquam post hac urbe exire ausi fuerint . Nostri ut ab hostibus insequendis se recepere ad castellorum munitiones conversi , quum alterum , quod imperfectum esse supra diximus , ad justam perducere altitudinem curavissent , omnibusque ad defendendum rebus necessariis communissent , stipendiariis peditibus , maximeque exercitatis CCC. in duas partes divisis , præsidium castellis impo-

sue-

suere , ferreaque catena obducta alterum alteri commisere . His rebus ita feliciter gestis tantum animi , ac fiduciæ legatis accessit , sicuti in secunda fortuna accidere consuevit , ut commutato de obsidione consilio , ad urbem oppugnandam traducerentur . Huic consilio suffragabatur etiam illa res , quod & magnum , firmumque habebant exercitum : constabat enim ex equitibus quatuor millibus , & quingentis ; peditibus quinque millibus , & urbem defensoribus vacuam audiebant . Quapropter omnium ordinum convocatis principibus quum consilium de oppugnatione urbis legati exposuissent , atque a pluribus partibus scalarum admotis in murum enitendum esse dixissent , apparatus omnem , machinasque suis impendiis pollicentur . Quod si prospere oppugnatio cesserit , præmia duplicatum stipendium , auri millia centum direptionem tam amplæ urbis proponunt ; monent , atque hortantur , ne tam paratam , præsentemque victoriam de manibus elabi socordia , & ignavia sinant . Disputatur in consilio a præfectis , & plerique ad eam rem ægre descendere videbantur ; sed ea legatorum novissima oratio fuit iis stimulis , pollicitationibusque referta , ut non modo præfectorum mentes voluntatesque converterent , verum etiam accenderet eos cupiditate pugnandi , ita ut omnes se esse paratissimos confirmarent . Itaque magno scalarum numero comparato nocte intempesta silentio ex castris egressi advolant Pisas , scalarumque admotis ab ea urbis parte ,

te, quæ ad meridiem spectat, in murum evadere nituntur. Jam milites nonnulli constiterant in mœnibus, & pars reliqua ascendere properabat, quum qui erant in muro custodiæ causa collocati Florentinum adesse animadvertentes clamorem tollunt; ipsi districto gladio obviis occurrunt. Hic acriter ab utrisque pugnatum; quum hostes pro patria, qua nihil homini antiquius est, nostri pro gloria, maximo apud fortes viros incitamento dimicarent. Sed nostri ancipiti prælio conflictati, quod oppidani exaudito clamore eo concurrerant, telaque ex urbe eminus in eos jaciebant, quum impetum sustinere non potuissent per scalas se deicere, fugaque sibi consulere contenderunt. In ea pugna perpauca vulneratis unus a nostris Papius ex Cancinaja quidam desideratus est, qui summæ homo audaciæ belli initio quum audisset impunitatem propositam iis, qui damnati capitis in Florentinorum exercitu militassent, atque ipse ex eorum numero esset, in Florentina castra se contulerat, operamque in eo bello optimam, fortissimamque præstiterat. Hic primus quum mœnia conscendisset, manusque conferere cum uno ex defensoribus cepisset, dum acerrime cominus ab utrisque pugnatur, ambo congressi, & inter se impliciti pariter in urbem præcipites corruere, oppressique sunt. Quo viso Pisani ob dejectum hostem e mœnibus exultantes, Papii cadaver tabulæ impositum, atque ad caudam asini religatum summis omnium generum probris, convitiisque

D per



per universam urbem traxere . Ea immanitate reliqui damnati , qui in castris erant incitati , atque omnibus modis ulciscendi suas injurias occasionem quærentes , strangulatis , qui in eorum venerant manum , Papii manibus parentabant . Hæc ad urbem Pisanam ; quod Masus Albitius , & Ginus Caponius Florentiam redierant : Verii Guadagni , & Jacobi Jamfigliatii auspiciis gesta sunt ; qui re frustra tentata , quum in aliud tempus negotium differendum arbitrarentur castris ad castella positis , quod munitiones nondum plene essent perfectæ , bene gerendæ rei opportunitatem expectabant . Jam orta erat inter Sfortiam , & Tartaliam controversia , quæ hinc maxime trahebat originem , quod Sfortia comparasse venenum ad interimendum Tartaliam dicebatur . Ceterum quum tempus illud instantis belli non altercationis esse videretur , Masus , Ginusque cum Tartalia , & Sfortia egerant , ut in aliud tempus persequi suas , ut putabant injurias reservarent ; atque obmissa inter se similitate , communi animo , consilioque huic bello servirent , ne ambo in privatis inimicitiis exercendis occupati publicam victoriam morarentur . Qua re impetrata legati Florentiam profecti quum per aliquot dies ibi fuissent , litteris Verii Guadagni , & Jacobi Jamfigliatii Decemviri certiores facti , controversiam , quæ modo suppressa Masi , Ginique opera videbatur , in maximum incendium exarsisse : exercitum omnem fere divisum partim ( ut in tali negotio fieri solet )

Sfor-

Sfortiam sequi, partim Tartaliæ adhærere. Ex his vero qui Sfortiam sequerentur principes erant Laurentius, Michaelque gentiles ejus cum equitibus DCCC. ipse DCCCC. habebat. Tartalia DCC. & L. equitibus præerat, sibi que Franciscum Mirandolam, cui DC. parerent, Rossum Aquilam, qui CCCC. imperitaret asciverat. Ceterum reliqui qui in exercitu aderant Ludovicus Opitius, & cohors, quam Rosam nuncupatam diximus, aliique complures inferiorum ordinum Duces neutram in partem inclinantes eventum rei expectabant. At Decemviri litteris legatorum de controversia certiores facti non mediocriter, id quod necesse erat accidere, perturbantur; nam sumptis armis maxime periculosum apparebat, si pars altera, utra superior evasisset, ad Pisanos deficeret; quos quoniam nosse omnia de controversia Decemviri suspicabantur, id tentaturos existimabant. Sin minus altera parte devicta, profligataque, infirmus ad ea quæ gerenda erant reliquus exercitus videbatur. Quapropter huic malo occurrendum esse existimantes, Ginum qui plurimum gratia, & auctoritate apud exercitum valebat ad componendas inter duces controversias mittunt. Ginus ad XI. Kal. Julias Florentia profectus, eodem die ad exercitum pervenit. Postridie auditis controversiis, ac Sfortiam, & Tartaliam alloquutus, quæ causa, & tempus postulabat, ab iis contendit, ut positis simultatibus, suas uterque injurias sibi, populoque Florentino condonaret,

operamque suam, qua hactenus in eo bello strenua, fidelique usi Florentini fuerant, præstare posterum perseveraret. Verum Ginus qui ex sopito igne quam facile novum ex improvviso incendium suscitari soleat, non ignorabat, huic rei præcavendum ratus, duces sejungere, exercitumque dividere constituit. Adjuvabant hoc consilium munitiones ad castella pene perfectæ; ita ut si alter ex ducibus ibi restitisset satis ad omnes casus relictum præsidii videretur, & ab altera urbis parte hostem incursionibus premi opportunissimum judicabat. Itaque Sfortiam cum parte copiarum, nonnullisque auxiliariis militibus secum ducens, prope Arnun fluvium in eo loco qui appellatur Colignuola confedit. Is locus ab urbe tria millia passuum, a Vico circiter septem millia abest, maximeque opportunus ad omnia videbatur. Quippe a nostris, qui Vicum obsidebant, siquidem expedito itinere flumen transeundum, non erat, tuto commeatus supportabatur, atque ad repentinos incurfus hostium, quod non ita magnas copias Sfortia haberet, subsidio veniri poterat; & ipsi corrumpendi frumenta in agris, commeatus ab ea parte intercludendi, ac quemquam intrare agrum prohibendi liberam facultatem habebant. Sfortia igitur cum parte copiarum ibi relictæ, Ginus a castris discedens ad VII. Kal. Quintiles, quem diem Baptistæ natalis consequabatur Florentiam pervenit, cujus adventus quum incidisset in eam pompam, quam celebrare quotan-

tannis sub signiferis universa civitas consuevit, atque ipse una cum suis contribulibus pompæ intereretur, omnium animos admiratione affecit, propterea quod gravissimo tempore controversia suscitata esset a clarissimis ducibus, principibusque totius exercitus, & unusquisque civis anxius animo, ac talem motum sedari posse desperans, nequaquam Ginum tam subito controversias composuisse existimabat. At re cognita, celeriterque, ut fit, per universam civitatem vulgata, tanta lætitia excepit omnium animos, ut Pisæ eodem expugnatae vestigio viderentur, & summa gratulatione omnes pompam concelebrarent. Peractis sacris Ginus ordine cuncta, ut acta essent Decemviris exponit, cujus consilium quum mire laudassent, quod & ad continendas ducum injurias maxime videretur accommodatum, & ad eam obsidionem congrueret, quam prælio intermissam, usus deinde magister optimus comprobasset; illud repetere consilium, & longo magis, quam acri bello premere hostem statuerunt. Quod postquam ex Decemvirorum litteris legati accepere exemplo peditum satis magno numero ad castellorum munitiones relicto, qui ab ea parte itinera perturbaret, commeatus siquid intromittere hostes conarentur, prohiberet, & exeuntes urbe exciperet; reliquum exercitum, quem dum munitiones perficerentur ad alterum castellum relicto esse præsidio demonstravimus, ad Sfortiana castra traducunt, ibique e regione positis castris tantum ut

Ar-

Arnus fluvius intercederet, navigiisque inter se junctis ponte injecto, quo ex alteris in altera castra transitus esset, flumen committunt. Hæc quam celerrime a nostris confecta, quum Joannes Gambacurta per nuntios accepisset, atque eo se adductum vidisset, ut neque pedestri itinere, neque navibus commeatu juvari posset, civium fide, murique munitionibus fretus, senes, pueros, mulieres, ac omnes denique, qui valetudine, aut ætate inutiles ad custodiam videbantur ex urbe eicere cepit simul ut suis commeatus suppeteret, & Florentini magnis oneribus stipendiorum oppressi diuturnitate belli, ac tardio obsidionis ab incepto desisterent. Quod ubi legati animadverterunt, per magni interesse ad celeritatem victoriz arbitrati hostem intra mœnia continere, pœna proposita, ut iis qui dicto audientes non fuerint laqueo gula frangeretur, per præconem licere nemini ex urbe excedere pronuntiari jusserunt. Quam vocem quum Gambacurta, sive incredulitate, seu necessitate adductus neglexisset, ac nihilominus inutiles ad defendendos muros extra portas propelleret; nostri primo mulieribus sectis supra pudenda corporis vestimentis, ac lilii nota buccis inusta cædentes loris eas urbem repetere compellebant. Dein quum id ad continendum hostem parum videretur, siquidem multi mortales quotidie foras expellerentur, magnitudine pœnæ reliquos deterritum iri existimantes, quum nasum mulieribus abscidissent, in mares, qua maxime ex urbe

urbe prospectus in castra erat , ad constitutum supplicium descenderunt . Quæ partim visa , partim audita ab hostibus tantum terroris omnibus intulere , ut ex ea die nemo vel coactus egredi urbem auderet , atque omni spe deposita exteri commeatus , quod erat intus cibariorum consumerent . His difficultatibus circumventus Gambacurta quum fortunam suam in consilio habuisset , desperatis omnibus auxiliis per Guasparem Lavajanum civem Pisanum agere de conditionibus cepit ; qui sæpius cum Gino , Nicolao Davanzato , ac Bartholomæo Corbinello ex Decemviris ; præterea Matthæo Castellano , & Jacobo Jamfigliatio legatis in castris congressus , quum jam de conditionibus convenissent , hostes de prima vigiliæ campanis , crebrisque per urbem ignibus excitatis summo clamore publicam lætitiā ostentarunt . Nostris ea nocte anxius animus , ne quid forte auxilii intromissum esset ab oppidanis ; ubi illuxit simul Burgundix principis turribus signa sublata , insigniaque portis depicta conspiciuntur , & per apparitorem ut ab obsidione discederent , quod urbs in ditionem principis pervenisset , denuntiatur ; qui subito arreptus , quum sub noctem manibus illigatis e ponte medio in flumen præcipitaretur , sive culpa eorum quibus ejusmodi cura demandata fuerat , sive quod impeditus manibus , pedibus adnataret , emersus , Florentiæque apud Decemviros injuriam questus , nullo responso dato dimittitur . Qua re ad Burgundix principem dela-

delata ipse graviore odio in Florentinos exardens, quibus dignitatem suam irrisui fuisse plane perspexerat; Petrum Cambinum Civem Florentinum paulo post in suas profectum terras, in vincula conjecit, ibique detentum non prius dimisit, quam magnis se pecuniis hominem redimere coëgisset. At Buccicauda Pisanis intentus rebus, quum ea, quæ tentarentur a Burgundiarum principe de occupandis Pisis intellexisset, veritus quia Ligurum permagnum numerum in castris habebat, ne aut principis flagitationibus, cui se plurimum debere putabat, aut regis Galliarum iussu ipsos revocare domum cogeretur, operam dedit, ut Ligures abs se dimissi sacramentum apud nos dicerent; quo facto quum mox id quod ille suspicatus fuerat accidisset, ut revocare Ligurem militem imperaretur, rem omnem in sacramentum, novasque conductiones reiciens probabiliori excusatione usus imperata fieri non potuisse persuasit. Ceterum ingravescente in dies obsidione, ita ut nemini facultas intrandi urbem, aut exeundi permitteretur; Gambacurta alia, atque alia spe dejectus, quum videret se ab omnibus partibus destitutum ad eas condiciones, quas intermiserat rediens, per Bindum quendam Bracam iterum agere de pactionibus cepit. Ex quibus rebus siquidem Braca sæpius in castris cum Gino Caponio, & Bartholomæo Corbinello nocturnos congressus haberet, deprehensum est, Pisanos gravius ob rem frumentariam laborare. Nam Braca, ubi apud le-

legatos cœnasset; jejunus enim in castra se de indutria conferebat, discedens panis aliquid in urbem afferre conabatur; quippe cui non irridicule simul, & sapienter Ginus dixisse fertur, ei licere quantum velit panis ventre asportare, veste non licere. Quibus argumentis tametsi apparebat Pisanos penuria necessariorum rerum diutius obsidionem ferre non posse, tamen quum eos conditione recipere ad omnes casus tutius videretur, legati de pactionibus agere perrexerunt; nam expectare donec illi extrema fame, compulsi dederentur, aliquot dies victoriam morabatur: quo spatio plures rem posse casus recipere intelligebant, quum fortuna in bello sæpe parvis momentis magnas rerum vicissitudines faciat, & urbs si forte in eum casum deduceretur rapinis, stupris, ceterisque denique malis, quæ ira victorum ferre consuevit, obnoxia videbatur. Verum quum legatis de pactionibus agentibus nimis magna pro obsidione tam arcta Gambacurta peteret, ea conditione, ut intra triduum hæc Florentiæ a Decemviris confirmarentur, de pactionibus convenire, quarum hæc erat summa: ut Gambacurta urbem, atque arcem Florentinis traderet: ipse pro his auri quinquaginta millia, & Sanctæ Mariæ Castellum, quam in Balneis vocant, acciperet, præterea civitate, atque omnium rerum immunitate donatus populi Florentini socius, amicusque esset. Hæc quo sanctius, certioribusque conditionibus fierent, obsidibus ca-

E

ven-



venda erant a Florentinis, dandique primarii juvenes viginti nobilissimi civitatis, qui donec quæ convenissent inter se præstarentur, Ripzfractæ apud Lucam Fiescum, is tum imperator erat, Sfortiam, & Tartaliam duces deponerentur. Hi fuere quos Gambacurta delegit principum filii . . . . . Alexandrius, Cosmus Medices, Jacobus Baroncellus, Nicolaus Valorius, Nerius Capponius Gini, cujus totiens mentionem fecimus, filius, Thomas Corbinellus, Joannes Bischerus, & Joannes Junius, Bernardus Guicciardinus, Nerius Fieravanta . . . . . Davanzatus, Nicolaus Niccolinus, Pallas Strotia, Jacobus Palatius. Præterea quibus parentes equestris ordinis fuere viri Meus Castellanus, Jacobus Janfigliatus, Lucas Albitius, Jacobus Guasconius, Gerardus Corsinus, Bernardus Magalactus. Has constitutas condiciones Ginus Florentiam profectus quum Decemviris exposuisset, his placuit ut æ ad summum magistratum signiferosque referrentur. Qua de re omnibus convocatis adhibitisque Decemviris Ginus pro his, ad hunc maxime modum loquutus est. Deus Immortalis P. C. fata ordinavit, ut Pisanum imperium in ditionem Florentinorum veniret, & profecto si obsidio erit Pisanos inopia cibariorum coactos propediem patefactis portis se tradituros exploratum habemus. At militem in tali negotio victoriz temperaturum haudquaquam præstare posse videmur. Nunc utrum urbem militum furori permittere, an quæ vobis recitabuntur

tur conditionibus recipere malitis, in vestra manu est. Quod si conditione agendum putabitis indubitato habetote nos urbem salvam, atque incolumem præstaturos; quem quidem si quæritis clementiæ fructum, Deo, hominibusque approbantibus, populus Florentinus bonis acceptus auspiciis erit, & apud omnes, quorum ad aures tantæ mansuetudinis fama pervenerit, æternum sibi nomen vendicabit. Facto dicendi sine Ginus pactiones recitare jubet, ex quibus quum consultatio haberetur, placeret ne conditionibus, quæ a legatis afferebantur recipi urbem, an illam sedendo expugnare, ingens assensus, alacritasque cuncta approbantium fuit. Suffragiis res permittitur, ac uno ex omnibus dissentiente cetera multitudo conclamat iterum ut referatur, ne dici posset quemquam a tantæ mansuetudinis officio discessisse. Quo facto quum omnes in unam eandemque sententiam convenissent, procuratores Bartholomæum Corbinellum, Ginum Caponium, & .... ad statuendas condiciones delegere. Igitur Ginus cum mandatis in castra reversus una cum Corbinello, & .... condiciones constituit, simulque ut obsides Idibus Octobris præsto essent operam dedit: qui quum venissent ad constitutam diem, & ad Ripamfractam, ut Gambacurta caverat, ituri essent, jam tum quandam animi magnitudinem præferentes qui post hac tam præclara erant in republica gubernanda præstaturi facinora, una cum legatis studio urbem intrandi gestiebant.

bant . Qua de re certiores facti legati , & ipsi ut nobilissimorum juvenum explerent animum , cum imperatore , ac ducibus colloquuti hac conditione quod petebant impetraverunt , ut urbe accepta obsides ad Ripamfractam proficiscerentur , idque juvenes præstaturos legati reciperent . At Gambacurta veritus ne si obsides darentur a Florentinis , quæ ille de conditionibus egisset in urbe detegerentur , de obsidibus repudiato consilio , liberam urbis possessionem tradere , ac Fieschi Sfortiæ , Tartaliæque fidei committere se decrevit . Quod ubi primum legati per nuntios acceperunt , præfectis omnibus convocatis maxime studuere , ut inter se Sfortiam , & Tartaliam reconciliarent , qua re ab his ægre impetrata , confirmatisque eorum , & ceterorum animis , si quid fortuna de deditioe obtulerit , ut a direptione militem continerent , qua nam maxime urbem intrandum esset in tali re , ut ab insidiis tuti forent , consulere . Dicuntur ab omnibus sententiæ : magna inter eos extitit controversia . Sfortia ab ea porta , quæ est ad Vicum exposita , qua in urbem introitus patentior erat maxime ingrediendum censebat , ut si quid de proditioe ab hostibus initum consilii esset , nostri casum expedito loco subirent . Tartaliæ vero portam Florentinam capere , suburbium præsidio peditum occupare , atque ab ea parte urbem intrare magis placebat . Quæ quum magnis contentionibus agerentur , atque ex præfectis alius in aliam sententiam in-

inclinaret, deliberatioque ductum iri in longius videretur; Ginus en inquit, modo polliciti urbem expugnaturus vos, nunc patefacta altera porta, utram deligatis; cunctamini etiam, & ingredi urbem dubitatis? Deus vos perdat, quandoquidem ab obseſſo fameque consumpto hoſte timetis. Sed jacta alea est: per Florentinam portam ingrediamur. Videte ne quis direptionis motus exiſtat; auctoribus autem vobis factum cenſebimus ſi quid erit a veſtris militibus perpetratum. Quod ſi quis forte dicto audiens non fuerit ſciat ſe ſuo ſupplicio inſigne documentum talia audendi ceteris daturum. Ad hæc Franciſcus Mirandola reſpondens; nimis, inſit, legati acerbas leges nobis imponitis: nam ſi Piſani proditione uſi per inſidias noſtros circumvenire tentarint, jacendum fuerit nobis, ac non ne eo quidem loci quovis malo opprimere perfidos hoſtes licebit? Tum Ginus exardens ira, qui hæc evitandarum inſidiarum ſpecie tendere ad direptionem noſſet: ſatis, jam ſatis, inquit, imperatum eſt vobis, ut in recipienda urbe ab injuria, & maleſicio abſtineatis. Si quid ab hoſtibus durius per proditionem acciderit nos quoque aderimus una, imperabimusque vobis, quid facto opus erit: obmittite demum immutare noſtram ſententiam; ita urbem recipere certum eſt. Quum nox adventaret, Gambacurta veritus, ne quis ſubito motus in urbe a civibus oriretur, nocte intempeſta urbem tradere properabat; quam rem legati proditionis ſignum

signum existimantes lucem expectandam rati, interim pedites nonnullos ad portam Florentinam, suburbiumque recipiendum misere. Hora constituta Gambacurta quum summa fide, quæ ad tradendam urbem pertinerent omnia egisset, ad portam cum gentilibus, clientibusque suis confitebatur, ut prima luce nostros immitteret; qua appropinquante jam in castris exercitus omnis in armis erat, & acie instructa urbem versus per ripam fluminis proficisci parabat. Erant ea tempestate in exercitu nostro signa duo, lilium, & aquila: horum alterum ferebat Jacobus Jansigliatus, alterum Mattheus Castellanus, qui aciem una cum ceteris legatis antecedentes pariter cum ortu solis ad urbem pervenerant, quum Gambacurta, ut institutum erat, portam aperuit. Ibi sagitta quam tenebat in manibus Gino tradita; quod signum deditionis convenerant; habetis, inquit, legati nobilissimam totius Italiae urbem: quod ad me attinet populi Florentini est; qui modo tot, tantisque ornatus fortunis, nunc patria, domo, extrorsis, solus, atque omnibus bonis expoliatus precario regnaturus sum, si id non tantum fide quam munificentia vult esse restitutum. Ginus accepta sagitta pauca pro tempore, suo & legatorum nomine ad hæc respondens Bernardo Cavalcanti collegæ negotium dat, uti firmo præsidio Gambacurtam in Domum Petri Gentilis ejus equitis Pisani deducat, ibique hominem custodiendum curet. Ipse cum reliquis legatis

tis

tis media urbe agmine in forum pergit . Ibi quum Luca Fiescus , cui ea potestas esset , Jacobum Janfigliatium equestri dignitate insigniret , magna deinde contentione actum , ut idem muneris Ginus , Corbinellus , & Castellanus adirent ; qui seu modestia adducti , seu fortasse vana quædam hæc , & inania ornamenta existimantes , munus suscipere recusarunt . Tanta peditum , equitumque multitudo ad recipiendam urbem convenerat , ut eam vix totius urbis tecta capere posse viderentur . Itaque ne quis in inquirendis his , & occupandis motus excitaretur , legati quum singulorum præfectorum descripta nomina ad summum Pisanorum magistratum misissent , ex quibus militum ratio haberetur , imperant certas domos , quæ illis mox ad forum redeuntibus præsto sint ; ipsi cum omnibus copiis longiore circuitu urbem circundant . Quod ubi primum Pisanorum ea pars , quæ fame confecta se domi semianimis continebat , sensit , per fenestras adesse hostem conspicata , inopinatoque malo oppressa , quod res præ magnitudine paucis nota fuerat , perturbatur . Videre licuit fere omnes macie ita confectos , ut intuentibus terrorem incuterent , nonnullosque tanta cibi aviditate affectos , ut quum panis non nihil , quod e castris attulerant milites ad fenestras his jaceretur , in eo occupando fratres cum fratribus , filii cum parentibus acerrime dimicarent , raptumque subito incredibili quadam ingluvie deglutirent . Interim panis , molitorumque cibario-

bariorum magna copia in urbem carris advecta, nec fere quisquam civium fuit ex omnibus, qui modo aliquas facultates haberent, quin, nulla pretii ratione habita, ad coëmendum concurre-  
ret, quorum plerique nunquam explere se ad satietatem existimantes præ nimia aviditate cibi per-  
riisse dicuntur. Hoc quidem Nerio Capponio au-  
ctore, qui omnibus his rebus una cum Gino pa-  
tre interfuit affirmare possum; panem quo alere-  
tur summus magistratus, dum urbs obsidione  
premebatur, ex lini semine fuisse confectum.  
Ceterum qui eodem Gambacurtam ipsum ali as-  
fererent, non defuere. In tota urbe frumentum  
nullum, molita cibaria nulla, neque aliud quid-  
quam quo modo ne dum ali ad satietatem, sed  
ne fame quidem levare mortales possent, præter-  
quam Sacchari, & Casæ nonnihil, tresque con-  
fectæ macie vaccæ repertæ sunt, ceteris omnibus  
diuturna obsidione consumptis. Atque ad eam  
necessariorum rerum inopiam ventum est, ut per  
plateas, aliaque urbis aperta loca collectas her-  
bas igni torrerent, ac ex his panis similitudinem  
facerent. Urbe circumdata postquam omnes ad  
forum rediere duces, præfectique ad assignatas  
ædes mittuntur; legati cum paucis ad curiam,  
ubi summus magistratus jura dare solitus fuerat,  
accessere; qui ut primum legatos ad se venire per  
apparitores cognovit in curiam inferiorem descen-  
dens, omni pristina dignitate deposita, illis; uti  
victos victoribus æquum erat se dedere, manus  
dedit,

dedit, ac quidquid imperarent facturum se esse confirmavit. Legati magistratum in curiam superiorem redire jubent; ibi deditione facta, atque clavibus portarum traditis, præterea turrium, atque arcium recipiendarum secretioribus signis, quæ cum suis præfectis constituerant, magistratum in interiorem curiam secedere, ceteros omnes curia excedere imperavere: ipsi cum suis relictæ, populi Florentini signa quum fenestris figi curassent, quod esse signum victoriæ consuevit, admoniti sunt notæ, quam superioribus annis Pisani nomini Florentino inusserant. Quippe inter utrumque populum vigente bello faber quidam auctor fuerat, ut Florentini ad occupandam urbem mitterent professus portam quandam cocto obstructam latere se extemplo machinis discussurum, atque inde aditum in urbem daturum. Qua quidem re frustra tentata Pisani nostrorum sarcinas nacti, quum signum liliiprehendissent, quod nostri ad introitum deportandum curaverant, tractum cum summa ignominia per lupanaria, ganea, ubisque alia inhonesta loca, demum e Basilicæ testudine inversum suspenderant. Legati igitur delere inustam maculam cupientes, signum magnis tubarum clangoribus hastæ præfixum celebri pompa in curiam deportarunt, ibique simul cum iis, quæ fenestris fixerant signis, proferri iusserunt. His rebus in urbe ita constitutis legati ad externa conversi Nicolaum Donatum cum mille & quingentis equitibus ad recipienda castel-

F

la



la per agrum Pisanum mittunt tradito signo, quod cum suis Pisani convenerant; cuius imperium, quum nemo recusare auderet, omnes se quamprimum Nicolao dediderunt, Pisasque miserunt qui dicerent se paratos esse, & imperata facere, & imperio populi Florentini obtemperare. Interim ad confirmandos omnium animos, qui in tanto victoriæ ardore tam veteribus inimicitiis direptionem pertimescerent, omnibus civibus in curiam ad concionem vocatis, Ginus ad hunc modum loquutus est. Culpa ne vestra, an innocentia nostra plus valuerit apud immortalem Deum in incerto habeo; quod Pisanum imperium terra, marique secundo cursu per tot annos evectum, dein tempestate quasi divino quodam nutu frustra agitatum, denique afflictum Florentinorum potestati tradiderit. Nam ne altius repetam nullis injuriis nostris exules Florentinos totiens a vobis ut bellum patriæ facerent fuisse exceptos; onerarias naves nostras captas, atque oppressas; fœdera rupta, quæ in nulla barbaria tolerabilia sunt; patrum nostrorum memoria, quum Britannorum illa calamitas in Italiam trascendisset, nonne ita cum iis consilia vestra, & arma consociastis, ut ferro, atque igni vastato agro in portis prope, ac mœnibus nostris barbarum, Pisanumque hostem videremus? Quid de Joanne Galeatio principe Mediolanensium, ac Florentino nomini infestissimo dicam, qui quidem nunquam ita dubio, ac suspensio animo fuit ad bellum inferendum adversus nos,

nos, quin vestra opera in arma præceps impelleretur; nunquam intulit, quin adjutus a vobis ita fuerit, ut vel magnus vestrorum civium numerus in exercitu ejus commilitarit? Sed illud odii insignis contra nos caput, ac pene simile prodigii fuit, tantam vos sitim hauriendi Florentini sanguinis tenuisse, ut libertate, patria coniugibus, liberis, fortunisque omnibus spretis, quæ prima vel sola bona mortales ducunt, dummodo id assequeremini, dedere vos Galeatio non dubitaretis. Hic quantum a vobis periculi fuerit nostræ libertati, horret animus recordari; fuit enim illud, ut hostilibus undique nos cinctos armis, quibus in maximum discrimen Respublica nostra venisset, vel una mors Galeatii explicaverit. Quæ bella omnia quum ita constanti, fortique animo a populo Florentino gesta sint, ut semper ad eam concordiam spectaverimus, quæ inter bonos finitimos conveniret; vos tanquam immanis aliqua bellua cæco impetu, ac rabie agitata tanto magis in dies pertinaci animo scviretis, intellectum est tandem nobis calamitate ipsa edoctis, hac civitate incolumi Florentiam stare non posse. Itaque bellum non intulimus, sed propulsamus illatum; neque libido aliqua dominandi, sed pericula nostra nobis pia, ac iusta induere arma. Qua in re si unquam utra causa melior fuerit dubitatum est, vel ex hoc cuivis patere maxime potest, quum non humano, sed divino quodam consilio factum videatur, ut quod bellum velut

commune incendium cuncta Italia reſtinguere debuerat , ita ab omnibus negligeretur , ut nullo defendente veſtrum imperium in noſtram redegerimus poteſtatem . Latro igitur a viatore oppreſſus , vi victa vis , vel potius virtute domita feritas eſt . Qua in re maximas gratias immortalī Deo debetis , qui quando hoc imperium ad interitum ruerē piaculo veſtro neceſſe eſſet , ita fatalem ſeriem ordinavit , ut ne quis potius illud , quam Florentini exciperent . Nam ut cetera noſtræ urbis dignitatis , pulchritudinis , auctoritatis ornamenta omittam , quibus proſecto honeſtior ſociorum fortuna eſſe videtur , ubi plura in ſocios manſuetudinis exempla , ubi plura in victos clementiæ monumenta ſæcula noſtra , quam in Republica Florentina viderunt ; Quam quidem ſupra repetere , quum præſertim vos ipſi modo clariffimam experti teſtes optimi ſitis ſupervacuum eſt . Nam quum ob longam obſidionem tanta inopia neceſſariorum rerum premeremini , ut aut fame , aut direptione triduo pereundum vobis eſſet , conditione urbem recipere maluimus , quam iræ juſte indulgendo noſtræ , furori militum , qui ea demum tot laborum præmia expetebant , diripiendam permittere . Ita in tanta urbe , tam divite , tam opulenta , in quam non ſolum populus Florentinus , verum etiam duces , præfecti , milites juſtum odium concepiffent ; nullum ſtuprum , nullas rapinas , nullum diſtictum gladium vidiftis , quæ quidem , ut paulo ante in exitu veſtrarum re-

rerum stantibus, magnopere optanda fuere, sic nunc extra limen imperii positis, sanctissime a vobis colenda sunt. Beneficiorum enim memoriam sempiternam esse debere populorum, ac gentium omnium consensus constituit. Quod si vera tam constans, tam vulgata, tam omnium litteris, atque linguis confirmata opinio, quis magis eam retinere, ac tueri debebit, quam qui ab hoste patriam, salutem, conjuges, liberos, e militum manibus ereptos acceperit? Huic si locum esse vultis, semina simultatis extirpanda sunt, persuadendumque vobis ipsis eam fortunam haud honestam esse non posse, quam vobis fata imposuerunt: nam & mens nostra gratiam, atque odium dissimillima inter se natura eodem tempore capere non potest, & nemo sine indignatione eorum recordatur, propter quæ turpis fortuna sua esse videtur. Quod vero præsentis est temporis, & præteriti incommodi sarcindi initium; omnia vestra consilia ad negotia intendenda sunt, aperiendæ tabernæ, excitandæ officinæ, revocanda fides, exercendæ negotiationes; omnia quæ prostrata humi jacebant erigenda sunt. Nam a milite ne quis in ocio motus fiat, quum præsertim in ipso impetu belli ab omni maleficio abstinuerit manus, minime dubitare debetis. Ceterum illud a vobis quam maxime arrectis auribus exaudiri voluerim, me quæ hætenus dixerim clementer, & liberaliter cum viris sanæ mentis esse loquutum, Si qui dissimiles eorum sint illa fuisse dicturum, nullum de servo in dominum crimen non

non capitale esse non posse ; & leonem stratis , cedentibusque belluis quam mitissime parcere ; in erigentes contra quam maxime favientem efferri . Oratio hæc universæ concioni lacrymas excussit , quibus demum cohibitis , flentes namque diu non emiseraut vocem , Bartholomæus Plombinas , cui hoc negotium a cuncto populo Pisano demandatum fuerat , hujusmodi orationem habuit . Si unquam antea cujusquam animus ad ea quæ sentit proferenda vocem , ac facultatem loquendi desideravit , meus inquam hodierno die desiderat , cui enim aut natura tantam ingenii ubertatem dedit , aut ars longo studio quenquam ita excultum reddere potuit , qui clementiam admirabilem populi Florentini , non dicam illustrare oratione , sed enarrare , aut consequi possit ? qui quum nos scelere nostro omnia fœda , atque crudelia pati deberemus ferrum , & flammam furenti militi de manibus extorserit ? qui fame ultimo humanorum supplicio pereuntes non modo sublevarit , verum etiam rerum omnium copia abundantes reddiderit ? qui quum lege victoriæ omnia nostra fortunæ , ac dignitatis ornamenta jure ad interitum occidissent , ea præter injuriæ licentiam , quam victis victoribus adimere necesse est , incolumia manere permiserit ? Oh inauditam mansuetudinem , atque omnium linguis monumentisque celebrandam ? Pisani totiens in populum Florentinum moliti , eum apud victorem reperiunt misericordiarum locum , quem ne apud suos quidem cives reperissent . Nam quum per summum scelus  
quon-

quondam a nostris, eadem, famem, stupra rapinasque pertulissemus, his omnibus per hostem in præsentia liberati sumus. Magnum profecto nomen apud mortales populi Florentini est; magnus accedit gloriæ cumulus Pisanorum tam potenti, terra, marique imperio quondam Italix lumine subactis; sed nulla est collata cum hac, quam hodierno die consequuti estis. Nam in bellicis rebus, etsi multum virtuti imperatoris, non parum militum robori, fortunæ plurimum tribui solet. At vero tam magnifice, tam mansuete, tam sapienter uti victoria; atque obsesso hosti, ne dicam pertinaciter molienti, non modo parcere, verum etiam restituere omnem speciem dignitatis, hoc ita proprium virtutis est, ut qui facit non solum supra mortalitatem ascendisse, sed, si dici fas est, vim ipsam, numenve Divinum assumptus esse videatur. Possumus igitur in populum Florentinum de nobis tam divine meritum unquam impii inveniri, qui si omnem ætatem in beneficiis illius erga nos prædicandis, recolendisque poneremus, parum grati pro immortalibus in nos, patriamque nostram meritis videremur? Nulla erit Pisanorum tam impia, nulla tam longa posteritas, quæ tantorum in nos meritorum memoriam delere possit. Nobis vero qui ea vidimus non solum anima spirantibus, sed etiam vita defunctis, monumenta vestri in nos beneficii permanent. Sed ut ad illud redeam, quo hæc mea spectat oratio; immortales vobis, universoque populo Florentino omnes gratias agimus, multo  
ma-

maiores etiam habemus , humano generi si datum esset re consequi divina munera cumulatissime relaturi . Quod attinet ad simultatem , utinam vos antiqua repetentes tam non pœniteat beneficii vestri , quam nos eorum vestra clementia conciliati obliviscemur . Nam quis eam fortunam recusare auderet , quam commutatam prope optabilem ex iniqua receperit ? Ceterum ea quæ dicta sunt a vobis ; quæ monuistis omnia tanquam imperata impigre exequemur ; pollicemurque vobis in rebus omnibus , quæ aut ad voluntatem , aut ad commodum , aut ad amplitudinem populi Florentini pertinebunt , nos & perpetuam fidem , & diligentissimum obsequium præstaturos . Quod si id , quod Deus omen avertat , nos ita tenentes cursum iniqua Pisanorum fors in aliquem vesaniæ profundum gurgitem arripuerit , non recusamus omnibus modis , quibus unquam in noxios sævitum est , excruciatum acceptum spiritum a vobis reddere . Hac habita oratione Pisani XX. legatos Florentiam mittunt nobilissimos civitatis , qui urbem , se , suaque omnia Florentinis traderent . Hi celeriter Florentiam profecti quum coram summo magistratu adessent strati ad pedes imperium , agrum , castella , cultores , incolas , quidquid denique Pisanorum fuit populo Florentino dedidere ; quibus benigne pro maiestate Florentini imperii responso dato , domumque remissis , Pisanorum prætores creati sunt Ginus Capponius , & Bartholomæus Corbinellus .

ORA-

## O R A T I O

DE AUXILIO TIFERNATIBUS  
A D F E R E N D O .

**E** Tſi ab ineunte ætate P. C. inſita mihi ſemper fuit cupiditas quædam incredibilis, ut primum poteſtas data eſſet opitulandi Reipublicæ, tamen in hac re ita me multa conturbant, ut quantum mea voluntas ſtudii mihi afferat ad ſalutem, dignitatemque reipublicæ conſervandam, tantum facultatis timor detrahere videatur. Dicendum eſt enim de Tifernatico bello, quod quidem quum per ſe ipſum conſidero grave admodum eſt; tum ceteris ejuſdem belli diligentiffime perpensis conditionibus, ita inuſitatum videri poteſt, ut neque noſtra, neque parentum noſtrorum memoria ſit auditum. Moveor etiam loci ipſius amplitudine, & dignitate, quippe qui tamen ignarus rerum, tam rudis in re publica, in tanta ſenatorum frequentia, atque intra ipſam curiam, quo nihil niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria afferri oporteret, ego ſim ſententiam dicturus; tamen dicendum eſt, ut opinor, nec tam timendum quod vos de me iudicium facturi ſitis, quam quid de tantis rebus iudicaturi. Atque ut inde initium ſumamus, unde hæc omnis cauſa proficiſcitur. Bellum grave,

G

&amp; pe-



& periculosum nostris fociis, atque amicis a principe uno omnium quos terra sustinet, potentissimo, infertur, Pontifice maximo, qui quum jam inde ab initio principatus sui maria, ac terras animo destinasset, nunc contentiunculis quibusdam Tudertinorum laceffitus, occasionem sibi ad occupandam Umbriam oblatam esse arbitratur. Civibus nostris honestissimis viris, qui prætores in his sunt regionibus afferuntur quotidie litteræ, quæ sociorum nostrarumque rerum pericula declarant, Spoletum oppidum Umbræ nobilissimum hostiliter esse direptum; Tifernum, quod in vestra societate est depopulato agro arctissima obsidione teneri; propinquos omnes, quum socios, tum finitimos vestros in summum timorem esse adductos, opem, præsidiumque vestrum cunctos expectare; id unum ab hostibus metui, præterea nihil. Causa quæ sit videris, nunc quid faciendum sit considerate. Necesse profecto P. C. genus hoc belli videri debet, in quo maxime laborandum est, ne forte a vobis, quæ diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur. Non enim nunc agitur de propulsandis sociorum, atque amicorum iniuriis, libertas, & anima nostra in discrimen vocatur. Tifernates ferro, atque igne vastato agro gravissima obsidione premuntur. Imminet, princeps unus ex omnibus potentissimus toti Umbræ, non solum vestris fociis, atque amicis maxime insensus, verum, etiam vobis, nomini, atque imperio vestro inimicif-

micissimus. Civitates autem omnes quum in Umbria, tum in Etruria, quandoquidem optime norint, quæ ad Spoletum acta sunt, non sine summo periculo se esse arbitrantur. Diversæ earum voluntates, distractæque sententiæ, ut in tali negotio solet fieri, eduntur in vulgus. Aliæ quid oprimum sit, aliæ quid sibi expediat, aliæ quid deceat, aliæ quid liceat dubitare videntur. E castris hostium afferuntur quotidie rumores graves, Tiferno in ditionem acto ad oppidum vettri imperii Burgum cum omnibus copiis advolaturos; quæ vox ni auribus arrectis a vobis P. C. exaudita fuerit, quam primum de imperio, libertate, patria, atque anima vestra dimicaturi estis. Nostis enim Burgensium vanitatem, nostis flexibilem hominum voluntatem qui una die (quod certe exemplo edocti memoria retinere debemus) tres diversos in urbem dominos accersivere. Sed concedatur eos fore in posterum fide, & constantia singulari erga rempublicam nostram quod minime concedendum est (repugnare enim naturæ, ut inquit Cicero, more gigantum, contra Deos bellare est) nonne Burgensium ejusmodi ingenium semper fuit, ut quemadmodum alacres, ac prompti semper extiterint ad suscipienda bella, sic molles, ac minime resistentes sint ad calamitates perferendas? Sinite hoc loco P. C. quod Dei omen avertant, si Burgum in hostium potestatem pervenerit, præterire me pericula nostrarum rerum, quæ tanta essent, ut vel extrema

dici posse videantur; non enim hi sumus, qui possimus quemadmodum majores nostri sæpe fecerunt, quæ bello amisimus armis recuperare, hostemque domo, ac sinu patriæ expellere. Exhaustum ærarium est, oppressi longa bellorum molestia, atque formidine cives privata pecunia opitulari patriæ non possunt. Fidem vero vestram, ac rationem pecuniarum, quæ sæpe jam in maximis periculis hanc rempublicam servavit, potestis jam constituere multis decoctionibus quantum apud exterarum nationes valituram existimetis, quum apud vos quid valeat in foro videatis. Et vos acerrimum hostem insensum Florentino nomini in vestris finibus, intra mœnia sociorum castra ponere negligetis? Putatis credo fortasse Tifernatibus tantum illatum bellum, hisque devictis omnem animorum ardorem fore extinctum; quod quidem, qui modo habent aliquid non solum sapientiæ, sed etiam sanitatis suspicari profecto non possunt. Ut enim omittam cujus tantæ importunitatis fuerit pro re tam tenui Pontificem maximum omnem Italiæ tranquillitatem deturbare; cujus tam imbecillis, minimique consilii copias tam magnas, quibuscumque ex gentibus posset, ad unum Tifernum expugnandum comparare: quid aliud crebri rumores illi de Burgen-sibus opprimendis sibi voluerunt, nisi imperio vestro manifestum, atque acerrimum bellum indicare? Et quoniam fidem, constantiamque vestram, ut homines religiosissimos decet, plurimi  
sem-

semper fecistis, certe nemini dubium est, quin in hac causa fides ipsa in discrimen vocetur. Agitur salus sociorum, atque amicorum, qui ut maxime tuti essent in vestram societatem venerunt. Aguntur patria, domus, Dii Penates Tifernatum, quæ omnia in vestra amicitia semper salva esse voluistis. Agitur spiritus, sanguis, atque anima eorum sociorum, quos antea pro perpetuis suis in vestram rempublicam meritis ornare, atque amplificare soliti estis. Sed quia semper cupidus gloriæ præter ceteras nationes, atque avidus laudis Populus Florentinus fuit, pro sociis dicam, an ne pro imperio vestro, id quod est verius, ullas hostium graviores inimicitias, atque contentiones metuere debemus; an non potius mortem antiquiorem turpitudine existimare? Majores vestri P. C. sæpe cupiditatem dominandi causam, belli habuere; vos vestrum imperium in discrimen adductum negligetis? Alienigenis opem a vobis, atque auxilium petentibus patres vestri sæpe opitulati sunt; vos sociis atque finitimis gravissima obsidione oppressis, quo tandem animo esse debetis? Illi majestatem Reipublicæ imminutam non tulerunt; vos omnem gloriam eripi a vobis patiemini? Videte ne ut illis pulcherrimum fuit ex parvis opibus ad hoc imperii culmen ascendere, sic vobis turpissimum sit è summo, atque excelso dignitatis gradu sponte ad interitum ruere voluntarium. Quod quidem P. C. non solum ne accadat vobis providendum est, verum-

tamen ne accidere posse, focii, atque finitimi aliquid suspicentur, cavere oportet. Homines enim in tantis rebus, ut aut metuant, aut sperent opinione non minus, quam certa aliqua ratione commoveri videntur. Erit igitur fidei, constantique vestrae socios, atque amicos calamitate prohibere, prudentiae videre sociorum calamitatem a republica sejunctam esse non posse. Nequeunt enim, ut probe nostis, aliqui ex sociis salutem amittere, ut non plures in summum timorem adducantur; vocari autem in dubium hi non possunt, ut non agi de omni statu reipublicae videatur. Ecquisquam dubitabit Tifernatum salutem una cum gloria, libertate, patria, atque anima vestra defendere? Bene, & compositae vir nobilissimus, studiosissimusque reipublicae M. Marcellus, itemque summis vestris beneficiis affectus L. Lucullus paulo ante in hoc ordine verba fecere: Calamitatem belli, commoda pacis, religionis jura, impietatis vitia qualia essent enumerare. Sed per Deos immortales, quo illa oratio pertinuit? An uti vos ex impiis maxime religiosos, ex bellicosissimis pacatissimos faceret; quippe qui non humana conditione, ac lege nati, sed ad Christianam religionem conservandam tanquam de Caelo delapsi, ac divino quodam consilio in umbilico Italiae ad pacandam religionem positi esse videamini? Ego medius fidius P. C. in hac re non possum non vehementer desiderare ornatissimorum civium Marcelli, & Luculli pruden-

dentiam ; quod homines quum ingenio , tum etiam doctrina præstantes , genus hoc causæ quod esset non viderint ; nam si vidissent quovis profecto , quam isto modo agere maluissent . Quid igitur ait Marcellus ? Divinam illam Augusti sententiam : bellum omnino suscipiendum non esse , nisi quum major emolumenti spes , quam damni metus ostenderetur . Oh divinam aureamque sententiam , neque tantum veritate rei quam principis auctoritate comprobendam ! Quid postea : ejusmodi hoc belli genus videri posse , ut quum altera alteris conferemus incommoda commodis longe majora occurrant . Quare dandam censet ille operam , ut omisss armis in pace vivamus . Magna mihi copia est memorandi P. C. qui populi , gentes , ac nationes , spretis fociorum , atque amicorum fortunis , postea de imperio suo dimicare coacti sint . Sed ea malo dicere , quæ majores nostri divino quodam consilio sequuti , bene atque feliciter reipublicæ consuluerunt . Bello Mediolanensi ; quod cum principe infestissimo Florentino nomini Galeatio gessimus , Bononienses focii , atque amici nostræ reipublicæ magnis oppressi hostium copiis , quæ quotidie totum Bononiensem agrum depopulabantur subsidia a vobis imploravere ; quæ res humeris vestris quantum oneris attulerit vos ipsi conjectura perspicitis , quum uno , eodemque tempore resistere adversus propinquos hostes , & fociorum salutem defendere cogeremur , ab unis enim hostium copiis uno con-

consilio , in Senensi atque Bononiensi agro bellum gerebatur . Tamen in tam propinquo , ac imminenti reipublicæ vestræ periculo tantum abfuit , ut Bononienses socios , atque amicos negligeretis , ut ex Apulia usque Joannem Acutum inclitum ea tempestate ducem ad eos ipsos defendendos evocaretis . Quæ res initium salutis vestræ , ac dignitatis fuit . Sed concedatur non semper imitanda esse instituta , & exempla majorum , atque ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accomodari oportere . Sit sane alicujus publicæ utilitatis causa a vobis vestra in socios , atque amicos prætermissa fides , quæ esse non deberet : utrum vestram an Tifernatam salutem petere hostes putatis ? Si Tifernatam , quid de illis rumoribus Tiferno capto hostem ad Burgum omnibus copiis advolaturum respondebitis ? Si vestram , quæ res est , quæ cujusquam animum in hac causa dubium facere possit ? Hic mihi quisquam pacem , & tranquillitatem nominat , quum unus omnium princeps potentissimus , atque imperio vestro maxime infensus cum magnis copiis supra caput est ? quum una excursio equitatus totum Arretii , & Cortonæ agrum altera frumentaria subsidia vestræ reipublicæ auferre possit ? quum socii , atque finitimi his regionibus non sine summo periculo se esse arbitrentur . Bono te animo tamen M. Marcelle , & ceteros , qui fuere in eadem sententia dixisse ea quæ sentiebatis certo scio ; novi enim te , novi domum , nomenque  
ve-

vestrum, studia generis, ac familiæ vestræ mihi nota sunt omnia. Sed tamen in tanto reipublicæ periculo, quum esset obscuritas quædam iudicii quidnam potissimum deligeremus, non fuit recusandum quominus nimis audaces in suscipiendo bello videremur; præsertim quum vel illud perquam maximum, atque evidentissimum adjungatur. Nam mea quidem sententia tantum abest P. C. quod nonnulli contendunt, ut commoda incommodis nimis æqua lance pensari possint, ut in sumendis armis per magnum lucrum quæsisse videamini. Reliquum est, ut de L. Luculli sententia; & auctoritate pauca dicamus; qui, etsi ad utilitatem, dignitatemque reipublicæ conservandam necessarium bellum esse concedat; negat tamen in Pontificem maximum hostile aliquid fieri debere. A quo quidem in hoc ipso non modo non dissentio (essem enim non solum impius, sed etiam amens) verum hanc suam & opinionem, & sententiam laudo, vehementissimeque comprobo. Habes igitur L. quod est agenti maxime optandum, cedentem adversarium; sed tamen id cedentem, in Pontificem maximum hostile aliquid fieri non oportere. At in eum hominem, qui pontificatu perfungitur, nisi erit is, qui superni in terris numinis personam referre videatur, quemadmodum in ceteros profanos principes pro patria, ac libertate vestra hostilia omnia fieri debere. Itaque prius ea, quæ in Pontificem maximum convenient qualia sint in Xisto consideretis



retis necesse est, quam ullum de tantis rebus consilium capiatis. Ego enim etsi existimo in Pontifice maximo omnia probitatis, ac virtutis ornamenta inesse oportere; tamen præcipue quatuor mihi convenire videntur. Clementia, Pietas, Justitia, Fides. Hunc igitur possumus pontificum aliquo in numero putare, cujus in urbe auctione quotidie veneant sacerdotia, atque venierint? Qui supplicibus, veniamque implorantibus Spoletanis, non modo non concesserit, verum etiam militibus suis diripiendos tradiderit, qui initio pontificatus principem Tifernatum Nicolaum Vitellium anxium de rebus suis chyrographo confirmarit, bene, ac feliciter sperare voluerit, nunc ad ejus ipsius, omniumque Tifernatum internecionem exercitum compararit? qui majestatem pontificatus, quam honestare, & colere debebat, studio quodam inflammato summis omnium generum probris inquinavit? Vestra admurmuratio facit P. C. ut cognoscendi cetera cupidi videamini. Sed hæc satis vel etiam nimium multa sunt ad argumenta eorum confutanda, qui Xisto convenire nomen pontificis maximi velint defendere. Quod si probare posset L. Lucullus in illo esse omnia virtutis ornamenta, quæ ad Pontificem pertinerent, tamen non esset vestrum in tam propinquo, ac imminente periculo committere, ut Tifernates focii, atque amici vestræ reipublicæ in hostium potestatem pervenirent. Majores vestri P. C. neque prudentia, neque pietate unquam  
ca-

caruere , neque illis vana quædam religio obstat quominus pro salute reipublicæ bella susciperent in Pontificem maximum . Testis est Perusia , quæ quum acerbo , impotentissimoque dominatu Gregorii premeretur , acceptam libertatem retulit imperio vestro . Testis Bononia , quæ gravi servitute oppressa monitionibus vestris pristinam libertatem recuperavit , recuperatam vero subsidiis retinuit . Testes jam Tifernates . Asculani , Fabrianenses , quos omnes etiam ipse Gregorius virtute , & subsidio vestro e suis manibus confessus est liberatos . Hoc item vobis faciendum est P. C. ne plus apud vos valeat certorum hominum quædam superstitio , quam vestra , ac sociorum salus ; præsertim quum illud vel maximum addi posse videatur . Illi de magnitudine imperii , de dignitate , gloria dimicarunt , nos pro salute sociorum , pro libertate , ac patria nostra certamus . Illi in pontificiam majestatem , illi in Pontificem maximum bella gesserunt ; nos in principem omnibus probris , ac facinoribus coopertum arma suscipimus ; quippe qui tantum abest , ut eum pontificum aliquo in numero putare possimus , ut ad omnem Christianam religionem evertendam , tanquam monstrum aliquod horrendum natus esse videatur . Quare ita censeo ego , quum & bellum sit genere ipso necessarium , in quo gloria nominis vestri , salus sociorum cum republica defendantur ; idque longe majoris emolumentum spem , quam damni metum præ se ferre

vi-

videatur ; ac non in Pontificem maximum , fed  
in principem ab omni religione ac pietate alie-  
num arma inferenda ſint , omni ſtudio ad bel-  
lum Tifernaticum incumbendum eſſe .

F I N I S .



